

collegii SACRVM P[er] XVII-232

OPVS POETICVM

son. 4.
TRIPARTITVM

DE CHRISTO, DE BEATA VIRGO,
ET DE PECVLIARIIBVS COELI

ILLVSTRISSIMO ECCLESIE PRINCIPI
D. D. GILBERTO DE CHOYSEVL
DVPLESSY PRASLAIN,
CONVENARVM ANTISTI
VIGILANTISSIMO, REGI A SANCTIONIBVVM
CONSILIIIS, DOCTORI SORBONICO, &
D I C A T V M.

Per M. PETRYM PAGESIVM, Rectorum de Gensac
eiusdem Diocesis Convenarum.

Collo.



TOULOSÆ,
Apud FRANCISCVM BOVDE, sub signo
Thomæ Aquinatis, ante Collegium
Societatis I. E. S. V. 1646.

MVM

M

VIRGO

XXVII
XXVII
XXVII

ESTABLISHED
1850
NEW YORK



ILLVSTRISSIMO ECCLESIAE PRINCIPI
 D. D. GILBERT. DE CHOYSEVL
 DVPLESSY PRASLAIN,
 CONVENARVM ANTISTITI
 vigilantissimo Regi, à Sanctoribus
 Consilij, Doctori Sorbonico, &c.



NVM insuper Præliudium
 Poeticum pro felicissimo tuo
 Conuenis aduentu, ECCLESIAE
 PRINCEPS ILLVSTRISSIME,
 nuper exhibitum, surgit &
 prodit in lucem alterum hoc

opus De Christo, De Beata Virgine, De Peculiaribus
 celitibus (Vti proponitur in titulo) Tri-
 partitum : Opus quidem ab argumento prodire
 dignissimum, ab authore prodire minus dignum.
 In lucem tamen editum obsequentissimus author
 (quod in præliudio sponderat) tuæ Dominationi
 & in longum (quod precor) Conuenis resi-
 denti censuit offerendum : Vt potè, qui Christus,
 Beatissimæ eius Matri Virgini, & reliquis cæli
 ciuibus propter eximias animi dotes Charus es,
 charum etiam reddes & autoritate tua com-
 mendabis hoc opus nedum in tota Diocesi Con-
 uenarum, cui tua præualet autoritas, Verum

Ubique locorum, queis notescit generis &
virtutum tuarum nobilitas, ex qua à Deo opti-
mo, à Pontifice maximo, à Rege nostro Chri-
stianissimo tibi vocato, electo & confirmato
provenit Pastoralis dignitas. Fateor (ANTI-
TES AMPLISSIME) qualecunque sit opu-
offerre me, nequaquam præsumptivè ad fauorem
humanum, sed tum imitatiuè ad tuæ virtuti
exemplum, cum debite & (vt vocabulo clarior
exprimam) obligatiuè ad honorem deferendum.
Ipsam defero quem spero per humillimam animæ
obsequentiſſimi supplicationem fore gratum in
hac versuum conuenientia,

Castalium	Phœbus	cœtum
	veniens	conducere
Conuencum	Præsul	Clerum.



CARMEN REGIVM.

PER DESCRIPTIONEM E

Adaptationem Phæbi Musis
Præsidentis

Desc. **M**Usæ (Aganippæo residentia numina Templo)
Anxia quas chari iamdudum absentia Phœbi

Vertit in ignavos studij cantusque sopores,
Tandem depositis noua gaudia ducite curis,
Vnus adest vestro missus Iouis ordine monti

Castalium veniens Phæbus conducere cœtum;

Adap. Vosque sacerdotes, & chari cætera Cleri
Turba, sacras (veluti Musæ) qui statis ad aras,
Festiuos celebrate dies, Christoque vacate,
Et renouate pium diuina ad munia zelum;
Namque præest vestris missus Christi ordine
templis

Conueneum veniens Præsul conducere clerum.

Desc. Indigetem Phœbum faciunt modulamina
vatum

Commisus licet Aonij foret Incola montis:
Nam neque collectus superas scandeat in arces
Indigetum cœtus, quin accersitus adesset,
Et sua cum reliquis copularet numina Diuis

Castalium veniens Phæbus conducere cœtum.

Adap. Et quamuis sit Præful homo, tamen in-
insuper ipse,

Est sacer, & merito ditatus Præfulis ostro.

S. At neque Conueneis fiunt sacra munia templis
Plena quibus non iura habeat, si iure fruuntur
Pontifices diuino, etiam sic iure potitur

Conueneum veniens Præful conducere Clerum.

D. Miram Phœbus habet citharam, modulorūque
canendi

Possidet, à ficto quos accepisse refertur

Mercurio, doctæ data cui facundia linguæ.

Ex quo tanta habuit modulorū insignia, Musis
Præfuit Aonio Rector commissus in axe

Castalium veniens Phœbus conducere cœtum.

Adap. Sacrum habet eloquium Præful modu-
losque docendi,

Iuridicamque tenet mitrata in fronte Coronam:

Hancque ab Apostolica, quæ dio munere veri

Fungitur in terris vice Christi, sede recepit,

Vt sibi commisso per Mitram Præsit Ouili

Conueneum veniens Præful conducere Clerum.

Des. In trinam indigetis diuina potentia Phœbi

Fertur; in excelsis sol primum dicitur astris,

Liber & in terris, & Apollo creditur imis.

Sed sibi Pierio commissa potentia monte

Non minor est, illic alio præcellit honore

Castalium veniens Phœbus conducere cœtum.

Adap. Non secus in nostro sunt Præfule digna
notatu

Hæc tria; naturæ primùm est homo in ordine
nostræ;

Nobilis & genere & gestis stat in ordine mundi;

Inque Deo, magnus speciali dote sacerdos.

245
Quidni igitur laudandus erit, populoque ve-
rendus

Conueneum veniens Præsul conducere clerum?

Desc. Quænam igitur vestro laudum Præconia
Phœbo

Reddetis, Musæ? nulla huic meliora potestis
Reddere, quàm vestros ipsi submittere cantus.
Ipse Deus vobis datus est, vt numine summo
Protegat, & bifidum faciat subsistere montem

Castalium veniens Phæbus conducere cæcum.

Adap. Tu mage Conueneum, Musis gens con-
sona, Ouile

Pontifici tanto quænam Præconia solues?

Soluere nil melius quam te submittere posses.

Meme ego de numero subdens, rogo numina
faxint,

Vt det alat seruet, sacra pascua, Ouilia, mentes

Conueneum veniens Præsul conducere clerum.



PRIMA PARS
HUIUS OPUSCULI
POETICI

DE MYSTERIIS CHRISTI
sub hac invocatione.

In nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti.

EPIGRAMMA.



*B loue Principium vates habuere profati:
At sacer à vero debet habere Deo.
Vnus is & trinus, trinumque, vnumque
per ipsum
Vnum erit e trinis Partibus istud opus.*

Benedicta sit sancta & individua Trinitas.

Vnus adorandus Deus est; perque omnia talis
Gentibus humanis secula cultus eat.

Tres ibi persona, trinumque in Numine nomen,
Vnumque in trino nomine Numen inest.

Æterni Patris, & Natl, personæque sancti
Flaminis hoc trino nomine Numen agit.

Non opis vllius est hæc ardua carpere mentis,
Ergo opus humana credere gentis erit.

Epigramma super his verbis. Adhærere
Christo bonum est.

Mundi	temne	Ad mundum	damnum.
Homo	Vias.	tendere	
Christi	tende	Ad Christum	lucrum.
Præcipitat		mundus	malum.
	mentes	ad omne	
Magnificat	Christus		bonum.

De Aduentu & Incarnatione Verbi.

Filius æterni, commotus amore, Parentis
Ad nostram assumpto corpore venit opem.
Iam meritam Adami debes, Homo, dicere culpam,
Qua summum è superis traxit in ima Deum.

De Christo nato.

Nobilis in stabulo humani super ordine moris
Nascitur intacta de Genitrice Puer.
Cui superum stipata cohors famulatur, & altos
Mirâ in honore suo concinit arte sonos.
Corporeo natura stupet qui nobilis exit
Matris inoffensa Virginitate thoro.
Diuino penetrans radio sacra viscera, tanto
Non valet illa sum sol penetrare vitrum.
Hac tu mira sciens mundo felicia, natum
Noli hominem tantum credere, Crede Deum.

De ipsomet Christo nato in stabulo, &
mortales alloquente.

Hic ego sum nascens stabulo, fenoque recumbens
Qui poteram magnas Regum habuisse domos.
Diues in auratis poteram cubuisse grabatis,
Sed miseram volui sponte subire casam.
Hinc, Homo, nosce tuum quam sit damnabile crimen,
Namque tui causa criminis hic ego sum,

Ad eundem Christum in stabulo natum;

siccine contemptis domibus, regumque superbis

In rribus, in stabulo nasceris (Alme puer?)

Te plusquam cælo dignum, turmisque vcrendum

Angelicis misera tecta subire casa?

Displicet anne tibi fœnum, aut putredo ferarum?

Immo humana mihi displicet, ista placet.

De eodem Christo media nocte nato.

Luna tuo noctem lustrare hanc desine cursu,

Atque alia plenum pro vice conde globum.

Sol nouus ad talem venit clarescere noctem,

Et nedum ille nouus, verum erit ille bonus:

Nam nouus assueto magis clarus sole serenat,

Et bonus humano nubila corde fugat.

De cantu Angelico. Gloria in excelsis Deo.

Gloria in excelsis, desursum ait Angelus imis;

Rursus ait, supero Gloria magna Deo.

Gloria semper erat cælo, tamen abdita mundo,

Et nato in terris est renouata Deo.

Et in terra pax hominibus.

Pax alias nato descendit in infima Christo:

Ast hodie terris haud nota pacis adest.

Qui foret? omnis homo legi, Christoque rebellis

Optima quæque negat, pessima quæque probat.

De introitu primæ Missæ Natalis Domini in

noctē quæ incipit.

Dominus dixit ad me, filius meus es tu.

Filius eterno diuina in origine Patri

Est, fuit, & semper Filius vnus erit.

Attamen intacta cœpit de Virgine nasci,

Filius & nusquam desinit esse Dei.

Naturæ ad pretium nostræ (res mira, bonique

omnis), ipse Deus filius est hominis.

4

*Hinc, Homo, tuque potes reiecto crimine mundi
Filius ipse hominis, filius esse Dei.*

De Introitu secundæ Missæ in Aurora, quæ incipit. Lux fulgebit hodie.

Lux hodiè nato recreat terrestria Christo

Incipiens cunctis irradiare locis.

*Clarius humano ventura in secula cordi
Fulgebit placidi gratia, amorque Dei.*

*De Introitu tertix Missæ in die, quæ incipit.
Puer natus est nobis, &c.*

*Filius atque puer nobis natusque, datusque est
Desuper, imperio qui regat ima suo.*

*Huic puero humana meliora ad commoda gentes
Subdite vos, durum non habet ille iugum.*

*Omnibus at potius regnis, & totius orbis
Imperijs, placido praeualet ipse iugo.*

In Herodem Christum natum persequentem.

*Quid tantâ, Herodes, in Christum percitus irâ
Tendis, & in cunas vana per arma furis?*

*Sicne tuam credis ditionem augere cruentis
Cædibus, & regnum condere pace tuum?*

*Quidquid id est, tibi nil furor aut dementia prodest
Occultum in pueri pectore Numen obest.*

*De Circumcisione Christi, & nominis
Iesu impositione.*

*Octauo post sancta die natalia, Iesu
Nomen habet superâ Christus ab arce datum.*

*Circumcisus ubi hoc nomen caeleste reportat,
Se saluatorem nomine, reque probat.*

De trium Magorum adoratione.

*Quid sibi vult nato thus, aurum, myrrhaque Christo,
Raraque ab Eois lata talenta Magis?*

Regia de tanto quid monstrat pompa puello?

5
Monstrat adorandum gentibus esse Deum.

Aliud.

246

Tres venerere Magi nato se subdere Christo,
Exemplum populis subdere corda Deo.

De tribus miraculis die Epiphaniæ repræsentatis super his verbis.

Hodie stella Magos duxit ad præsepium,
Prævia stella Magis fuit ad Præsepia Christi:
Præviaque est nobis calica ad astra fides.

Clarum oculis cæli radium, lumenque serenum
Illa dedit, meritum cordibus ista dabit.

Hodie vinum ex aqua factum est ad nuptias.
Reddidit ad chari Christus connubia sponsæ
In mera mutatas vina precatus aquas.

Hinc ego, quam patior pro Christi nomine, spero
In bona vertendam gaudia tristitiam.

Hodie in Iordane Christus à Ioanne
baptizari voluit.

Indiges abluitur caput, & sine labe lauatur
Per puram è liquido flumine Christus aquam.

Hinc, Homo, nosce caput, corpusque, animumque necesse
Quam sit ab innata labe lauare tuum.

De Ieiunio Christi.

Non sibi sed nobis fecit ieiunia Iesus,
Ejus (Adam pomi noxie) causa tuus.

De die Cinerum super his verbis.

Memento homo quia pulvis es, & in pulverem reuerteris.

Pulvis homo est, & Pulvis erit; quid restat agendum?
Lugendum: hic pulvis consonus est lachrymis.

Numsordes mundantur aquis & puluere? uere:
Pulvis Homo lachrymis tu quoque mundus eris.

Epigramma super quibuslibet mysterijs huius
orationis quæ incipit,

Deus qui pro redemptione hominum voluisti
Nasci.

De superis (ô quanta Dei clementia!) venit
Sedibus, & misero natus in orbe Deus.

Vitam, Homo, mortiferi iam desine quarere mundi:
Fuit Deo, gratis nascitur ille Tibi.

Circuncidi.

Natus ubi est Christus, sua post natalia templo
Fertur ad octauum victima sacra diem.

Et circuncisus nostro pro crimine caput
Multa pati in cunis, in cruce quanta feret?

A Iudæis reprobari,

Perfidiam ostendit nimiam Iudæa rebellis,
Christum continuis improperando malis.

Talem perfidiæ causam quam dixeris? illa
Tota fuit mundi, totus & iste Dei.

A Iuda traditore osculo tradi

Oscula sacrilegi Iudæa non denegat ore,
Non etiam Christus talia corde probat.

Nam licet exterius fuerint hæc oscula mellis,
Attamen interius pocula fellis erant.

Vinculis alligari.

Vincla tenent vinctum lodoso robore Christum,
Queis trahitur misera victima sacra Cruci.

Non vinctum te, Christe, tenent tam vincla, nec vrgēt.
Te potius nostri vincit & vrgēt amor.

Sicut agnus innocens ad victimam duci.

Nil sonat, & nullam Christus facit ore querelam,
Ductum ubi funereo se videt esse loco.

Sponte quidē es, Bone Christe, homini placabilis agnus;
Non tamen ille tibi desinit esse lupus.

7
Atque conspectibus Annæ, Caiphæ, Pilati,
& Hærodis indecenter offerri.

Iudicibus mundi Christus se sponte quaternis
obtulit, & sæuo milite ductus ijt.

Disce, Homo: diuinas humilis non temnere leges:
Christus enim humanis legibus est humilis.

A falsis testibus accusari.

Accusaris, amans veræ pietatis, & insons,
Pluribus à falso milite (Christe) malis.

Non frustratur homo mendax vbi dicitur omnis,
Christo etenim mendax iam bene constat homo.

Opprobrijs vexari.

Opprobrijs vexat Christum Iudæa rebelis,
Tectum & carne sua non putat esse Deum.

Quid faciet quando teget illum gloria? nusquam
Tunc vexatus erit, sed veneratus erit.

Sputis conspui

Effera Iudæica & plusquam gens effera terra,
Qua vomit in sanctam turpia sputa genam.

Maxima præ cunctis est illi debita pœnis,
Ceu gena præ cunctis præualet ista genis.

Spinis Coronari

Immeritis Christum spinis Iudæa coronas:

Et, quæ sunt illi debita iure, negas.

Tu maledicta Deo terra es, benedictaque Christus;
Ergo rosa est illi debita, spina tibi.

Colaphis cædi.

Cum tibi casa fuit, colapho gena (Christe) nefando,
Per tumidam grauis est indita pœna manum.

Sacrileglo profertur vbi blasphemia verbo,
Ista tibi colaphis est mage pœna grauis.

Arundine percuti.

Gestat Arundineum sacra Christi dextera sceptrum

Stemmaque quem decuit nobile, vile gerit.
Iam frustratur honor, rerumque inuertitur ordo;
Cum sapiens stulti stemmata gestat homo.

Facie velari.

Cum Christi Iudaea tegis Valamine vultum,
Aut mala es, aut meriti non bene gnara sui,
Quidquid id est, Christoque pium licet impia vultum
Ipsa tegas, animum deteget ille tuum.

Vestibus exui.

Exiit, & vestem Christo Iudaea negavit;
Insus ita in medijs gentibus ille fuit.
Vestem auferre quidem potuit, non tollere Numen,
Numen enim exuta veste remansit idem.

Cruci clavis affigi.

Trans vtramque manum confixi robore clauī
Affixum retinent te, Bone Christe, Cruci.
Non tua, nostra magis meruit manus vtraque clauos;
Est tua tota bonis dedita, nostra malis.

In Cruce leuari.

Transfixis manibus geminis, pedibusque leuatur
Christus in arboreā vistima sacra Cruce.
In Cruce Rex Regum Christus cur sponte leuatur?
Hic fecere suum crimina nostra thronum.

Inter latrones deputari.

Latronem reputat, tum mortis damnat acerba
Supplicio Christum gens inimica Deum.
Cur ita de nostro persoluit crimine pœnas?
Quippe Dei furtum crimen honoris erat.

Felle & aceto potari.

ore sitit Christus moribundo, nilque bibendum
Quam mera libati pocula fellis habet.
Reccator lacrymare tuo de crimine, Christus
In posum lachrymas mallet habere tuas.

Et Lancea

Dita tibi, Iesu, cor vulnere lancea laesit:

Quanta tibi ex illo vulnere pœna fuit!

Magna quidem fuit hinc; sed dira ex crimine gentis

Credo ego quod maior sit tibi, Christe, dolor.

Super Reliquis verbis præfatæ orationis, quæ
sunt. Tu Domine per has sanctissimas pœnas, &

per sanctam Crucem, & mortem tuam libera nos

à pœnis inferni, & perducere digneris quò perdu-

xisti Latronem tecum crucifixum.

Christe, deloriferos mortisque, Crucisque labores

Credimus ad nostrum te subiisse bonum.

Scimus & assumpta per liuida vulnere carnis

Supplicibus veniam te meruisse reis.

Ergo age, Latronis veniam ceu ante dedisti,

Da veniam nobis, ferque misertus opem.

Quot sumus in terris homines, confidimus omnes

Supplice voce, tuæ confugimusque Cruci.

Sique Cruci ut primus, placuit cui parcere, La

Non sumus affixi corpore, corde sumus.

De veneratione sanctæ Crucis.

Corpore Crux cunctis, charo Crux corde colatur;

Cum Cruce concessum cunctis conscendere cœlos.

De Inuentione sanctæ Crucis.

Quæ latuere diu sacra vexilla salutis,

Mox inuenta Crucis ligna verenda patent.

Inuenienda etiam quouis se tempore præbent:

O vitam morti proximus, inueniam!

De sudore sanguineo Christi in horto.

Sanguineam sudavit aquam, cum Christus in horto

Diuinam à superno Patre vocaret opem.

Si veniens talis Christi de corpore sudor

Non erat humani moris, amoris erat.

De risu Herodis in Christum cum veste purpureâ sibi deductum.

*Risit in adductum Herodis Vesania Christum,
Ipsam ubi purpuream vidit habere togam.
Si ridere dedit, quando illum purpura cinxit,
Quando illum cinget gloria, flere dabit.*

De inscriptione. Ecce Homo.

*Ecce Homo, cum Christus pœnas, & crimina nostra
Pertulit, & quando sustulit, Ecce Deus.*

De inscriptione. Ave Rex Iudæorum.

*Impia cum Christum Iudæa hac voce salutas,
Dicis Vera; tamen dicere falsa putas.
Et malè quæ dicis, si vis bene dicere vera,
In bona abusuum seria verte iocum.*

De perditione Iudæ, & lacrymis Petri.

*Non habuit veniam solo de crimine Iudas;
De trino veniam crimine Petrus habet.*

*Cur Deus hæc fecit contraria? Parcere duris
Nescius est animis, parcere scit lacrymis.*

De morte Christi super his verbis.

Consummatum est.

*Christus ubi exiit matris de viscere natus;
Inceptum humanæ crede salutis opus.*

*At mortem ut subiit mediâ crucis ab ore passus;
Complectum humanæ crede salutis opus.*

De consequentia mortis, & Resurrectionis Christi.

*Quando subit Christus diuino in corpore mortem,
Ipsam (Homo mortalis) crede subire tuum.*

*In quoque, cum vitam propria de morte resumis
Et redis in diuum, sumere crede suum.*

De die Resurrectionis Domini super his verbis.

*Hæc dies quam fecit Dominus ; exultemus ,
& lætemur in ea.*

Domnica , quâ Christus Dominus de morte resurgit

Et redit in viuum , dicitur ista dies.

Pra reliquis est ista dies electa diebus ,

Et læta humanis gentibus vna dies.

Mundi igitur spernenda dies , Dominique colenda ;

Competit hinc risus , competit inde dolor.

De Ascensione Domini.

Scandit ouans Christus post victum Damona cælos ;

Vis quoque tu cælos scandere ? vince prius.

De ipsamet Ascensione super his verbis. Viri

Galilæi quid admiramini , &c. Hic Iesus qui assumptus est à vobis in cælum sic veniet.

Miraris Galilæa , tuus quòd in astra Redemptor

Iuerit ? hinc magnus restat in orbe fauor.

Mirandum potius , Iudex cum venerit illinc ;

Non fauor , at magnus tunc erit orbe furor.

De descensu Spiritus sancti die Pentecostes.

Ventus in orbe bonus flauit , cum sanctus ab alto

Spiritus externos edidit axe sonos.

Eia agedum vento (pia mens) agitata secundo

Secura in Patriam iam potes ire tuam.

De ipsomet die Pentecostes super his verbis.

Factus est repente de cælo sonus.

Corporibus sufflans leni dulcedine quondam

Cælicus humanum spiritus esse dedit.

Nunc , vbi de supero vehemens descendit in orbem

Æthere , diuinum cordibus esse dedit.

De Sanctissimo Eucharistiæ Sacramento.

Nobilis in terris humana mensa saluti

ponitur , & lauto mensa parata cibo.

*Curre, homo, tam laeta vigilans assistere mensæ,
Nedum laeta cibo, plena sed illa Deo.*

De eodem.

*Quando sua Christus nos carne, & sanguine pascit,
Cælestes Dominos, semideosque facit.*

Cumque agitur tanto carnis de munere; car nem

Terra tuam nolo: sed volo, Christe, tuam,

*De Christo crucem ad locum Cal-
varia deferente*

illa, flagellatis quam portas, Christe, lacertis,

Cruce tibi funus erit; sed mihi munus erit.



POEMA

DE MORTE, ET RESUR- RECTIONE CHRISTI.

Mirandum Solymis, desperatisque tremendum
Sontibus, Aonia motu memorabile Musæ
Se mihi præbet opus. spoliato victor ab Orco
Christus in æternâ redijt post funera vitam.

*Tanto quas eperi vires, quantumue requiram
Subsidium? stupeo subitus, cum prosilit ultra
Versus, inersque rei merita non consonat orsus.*

*Tu mea, si sacris placeat succurrere cæptis,
(Sancta Dei Mens antiquis dignata figuris
Præscia venturi vatum præcordia veri
Facundo referare sono) referare secundis
Incipe corda sonis; quamque hic cognoueris aptam*

Affert opem; Verum noui. i te Carmina Phœbum,
 Et suscepta uores si dignissima statu. 250
 Iam mihi cernuntur reueratis carmina fundi
 Cordibus, & sanctis præcordia percita flammis.
 Ergo age susceptum calo duce (Musa) laborem,
 Perfice, diuinis decantatura triumph' os.

Effera Iudaica, & plusquam gens effera terra
 Inuidiæ stimulis arsit, Christi que ruina
 Corcita, Vipereum spumabat corde Venenum
 Antiquis intenta iugis, & nescia flecti
 Legis adimplenda placitis, certumque nocendi
 Inquirebat iter, quo Christi auerteret usum;
 Et noua diuina arceret documenta salutis.
 Atque accersito dubia in discrimina cœtu,
 Scribarum proceres talem fecere querelam.
 Siccine nos nostro victos desistere iure
 (Iudai)? nec posse sua diuertere lege
 Vnum, qui supero genitum se Patre professus
 Ad sua vertendam tendit miracula gentem?
 Diuertamus (ait Caiphas, qui corde maligno
 Veroque implendæ nutum dedit ore salutis)
 De medio tollamus eum, magis expedit vnum
 Tollere; quàm miseram subeat gens tota ruinam.
 Talibus augurijs, primum cedente senatu,
 Consona tata cohors collectis vocibus iuit.
 Continuo immanes ferri munimine Christo
 Coniurata acies, conspiratogue parata
 Consilio, tacitam retulere adiurgia fraudem.
 Perfidus vnus erat biseno, Praside Christo,
 Iudas è numero; modico qui deditus auro
 Terga Deo, fideique dedit, contraque magistrum
 Composito cum gente dolo, simulata per oris
 scula mansuetum brutis immanibus Agnum

Tradidit, & Dominum veri simulator amici
 Prodidit; hinc dictus per secula Proditor iuit.
 Quis) miser) in tantos meriti te mouit abusus?
 Quae (Iuda) spes vana tuam peruertere sortem
 Capit? & in Domini quid te tulit (impie) funus?
 Munus. Ah, aeternis munus damnabile flammis!
 His etiam damnatus ades. Sed vanus in auras
 Do gemitum, & de fonte queror, potiùsque gemendum
 De Christo miseros passo mortem ante dolores.
 Quid tamen ordiar hos, referamque opprobria diris
 Plena odijs? censusa silent ibi carmina, Christum
 Comiserata Deum. Sic primum dura tacebo
 Vincla catenatis Iesum stringentia nodis:
 Nec dicam media raptum sub nocte; nec addam
 Stipatam armorum rabiem; suspiria falsos
 Obiurgare vetant testes, quos impia mouit
 Inuidia extremam Christo intrare ruinam.
 At neque mandatum Caiphæ per deuia legis
 Iura, nec insano ductum reminiscar ab Anna.
 Primus is in tumidas plebem commouerat iras,
 Et Christum multis stipandum dixerat armis,
 Ne coniurata fierent in in:ne ruine.
 Heu, quantis audax iuuenum custodia capto
 Astitit insidijs! quantas aduersus inermen
 Tentauit cum cade minas! si dicere lusus
 Pasforet, in medio torperet pectore luctus.
 Sique profanata temeraria verbera dextra
 Exprimerem, vacuum fandi procul iret acumen.
 Posterus Herodes non dispar fraude priori,
 Spectato toties Christo presente potitus
 Risit eum, & tales Herodis dicere risus,
 Lugubres fierent festiuo in carmine ritus.
 Et data solliciti sententia bina Pilati,

Quæ Christum vna flagro damnauit, & altera morte
Vtraque percluso retineret verba palato.

Non ea mens longos, quos ad cælestia duxi
Gaudia, funereo tractus deducere planctu.

Hæc alius memoret, tacitæ in pectore ploret,

Lugeat & dura vincitum casumque columnas;

Nec super offensos mihi sit ploranda lacertos

Purpura, spinosa nec sanguinolenta corona

Serta sacris infixæ comis: Elegia retexet

Tristis arundineum meliori carmine sceptrum:

Namque ego talem habitum, mediæque ingente ne-
quirem

Illusum memorare Deum. Dictæria vulgi

Alternis satius fuerit concedere vatum

Carminibus: satius fuerit sputa impia, sanctis

(Quale nefas!) iniecta genis reticere, stupendum

Dicere deductam inconsuto tegmine sortem.

Non etiam ad tantos mihi suppetit actio planctus:

Si qua tamen mihi suppeteret; Caluarie pænis

Mons addictus erat Solimæa proximus vrbis

Mœnibus; & talem potius comitarer in axem

Christum, vbi mortales nostro pro crimine pænas

Pertulit: at gemini modo me victoria belli

Vna super mortem, stygium super altera regem

Prouocat ad letos festiui muneris hymnos.

Postquam igitur Christum Iudæa ad funeris axem

Ductum habuit, fixumque cruci per tæsa pependit

Brachia, confixis, potuit quanto impete, clavis

Trans palmas; plantasque fero stibundus aceto

Potus, & bastililatus ictu saueius ille

Sponde sua expletis legum, vatumque figuris

Externas animam susceptam emisit in auras.

Visa citò rotam, spectacula cingere terram,

Ipsamet mundanos Natura vbiq; colonos
 Terruit inuerso quando stetit ordine, passum
 Authorem testata suum: tunc omnia rupto
 Fœdere iurassent nostris elementa ruinis;
 Aut vice pro gemina saltem solimæa luisset
 Terra Gomorrhæas nimio pro crimine clades;
 Ni Deus humana reparanda hac morte salutis
 Præsciis, & proprio nostrum ergo parcere Nato
 Nesciis excelsis hac permisisset ab astris.
 Sol tamen occulto noctis velamine vultu,
 Luna etiam trinas dis aruit orbe per horas,
 Astraque funereas passo factura Tonanti
 Exequias, nigro sese inuoluere colore,
 Mixtaque confusis tristata est aura tenebris.
 Terra sub infixâ tremuit perterrita plantâ,
 Et solida in modicas abiierunt marmora partes;
 Tecta que discisso templorum altaria velo
 Horrendum retulere metum, teguloque repulso
 Fecere attonitam monumenta potentia mortem.
 Pleraque in amissam redierunt corpora vitam.
 Talia tendebant festiuo signa triumpho,
 Signaque Iudaïcos nondum versura furores:
 Namque, vbi perspectis tot signis pleraque vulgi
 Agmina commissum facinus nouere, fatentis
 Impia cœlestem sortitum funera natum,
 Contra alij magica suspecti sortis, & artis
 Mandatum tmulo, & lini valemine tectum
 Curarunt vigili seruandum milite Christum,
 Et super, immensa posuerunt pondera petra,
 Ne qui (vna fides) rapiant, dixerunt, ferantque
 Vulgus in errorem nimium, fraudataque portens
 Nuntia, detecto viuum redisse sepulchro
 Dum gladijs armata feris sudibusque sepulcrum

Suspecto seruiat raptu custodia corpus,
 Spiritus assiduo comitatus Numine tendit
 Victricem stygijs laurum laturus ab Umbris,
 Obscuroque Patres ex Patris crimine clausos
 Carcere, sidereas secum ducturus in auras.
 Atque repentinum celeravit in infima cursum
 Calica purgando portans medicamina limbo
 Limbus auernali locus est conterminus orco
 Luce carens, fuscus tenebris, non obsitus Vllo
 Sontis supplicio, furijs vbi nulla domantur
 Corpora Tantalici, Ixionioque rotantur
 Orbe, nec assidui rostrata voragine corui
 Pectora torquentur; talem interiore reclusi
 Sede rei pœnam subeunt, qui nocte sepulii
 Perpetua dias consortes Dæmonis iras
 In sua præterita mouerunt crimina vita
 (Desperata cohors miserum, queis victima nunquam
 Vlla dabit medio minimum solamen in igne)
 Fœlices vbi prima colunt habitacula mentes
 Et loca sulphureos nunquam expertura caminos.
 Hinc etiam fugit omne nefas, & diffuga longe
 Crimina sunt, primi sed successiua parentis
 Pœna tenebroso dedit esse aequalia nimbo.
 Hinc captiua cohors Patrum, gens munda, Deoque
 Grata ab Adameo deductam crimine pœnam
 Sustinuit tenebris; tamen, vt prænoxerat olim,
 Venturum superis lumen spectauit ab astris
 Talibus assiduos verbis solata labores,
 Huc ades, alma dies, lapsis spectata tot annis,
 Huc ades, & faustam nobis age desuper horam,
 Qua liceat superas limbo conscendere sedes.
 Huc ades o summo proles æquaua Parenti,
 Vera scybillinis mundo promissa figuris

Huc ades, & nostri placeat meminisse doloris:
 Nec magis, si sacra casta de Virgine carnem
 Sumpseris, & supero sanctam placitamque senatus
 Sponte tuatuleris media Crucis arbore mortem,
 Differ Adamam mundo dissoluere poenam.
 Huc te diuina moueat clementia mentis,
 Longaque perpesi moueant suspiria frangi.
 Hæc erat obscuro Patrum acclamatio Limbo,
 Tuncque fuit, nigris ubi lux immissa cauernis.
 Reddidit æthereo clarum magis sole nitorem
 Ingressum testata Deum: Lucescere cepit
 Styx semel huc intrante die; nox atra serenam
 Non experta patilucem, confugit in imos
 Testa sui pallore lacus; mandataque Ditis
 Porta repentinum Domino veniente recessum
 Fecit, & auulso patuerunt caræque postes
 Quippe sua Christus portarum obstacula dextra
 In latus auersum repulit, latebrosa que claustra
 (Vitrea quæ nullus rupisset) ferrea rupit.
 Factus ab ingressu Domini confusus Auerni
 Ianitor, infernas stupuit nil sistere portas.
 Æger & ipse sua stragem properare corona
 Dux erebi, inuito depromptum corde tumorem
 Euomuit, notumque nouo de lumine Numen
 (Noscere tale quidem poterat, non cernere) præceps
 Horruit, attonitusque cauo de carcere secum
 Assumptis, quæcumque tenet domus infima, monstris
 Exiit, & similes iuit superatus in orsus.
 Quæ portenta mihi subeunt? gens incola noctis
 Quæ cæcas hominum mentes sensusque regebat
 Hactenus, & placita mundum sub lege tenebat,
 Siccine vita ruat sæptro spoliata potenti,
 Perque vnum confusa hominem, cui versa patefcunt

Limina, & inferni nullis stant viribus ignes?
 Nusquam Acheronthæas quisquam penetrarat in arces.
 Aduena, quin subiti per bella minasque furoris
 In coniuratas ruerent fera monstra phalangas.

At ruit e contra nostros euertere fines
 Xnus, adorandâ qui maiestate potentem
 Kelato tegit ore Deum, talisque supremo
 Iure patet præsens; dudum & promissus ab alto
 Humanis venit auxiliis, & tendit apertis
 Viribus, humanas Erebo prohibere rapinas:
 Non ea spes nobis neque mens. Nec plura locutus
 Cognita deposito Veneratus Numina fastu
 Cedit in occultos Erebi fugitiuus hiatus;
 Ni fugiat cedatque, sibi reliquisque reorum.
 Supplicijs stygios magis, ac magis augeat ignes.
 Ultra adit interea Christus, qui Numine summo
 Fulmineam per claustra mouens Plutonica Vocem
 Lucifugum procerem lethæo gurgite mersum
 Impulit humanæ memorem non esse rapinæ
 Amplius, atque nouam sic edidit ore loquelam.

Tunc Erebi cultor, Christi fugitiue Potentis
 Hortator scelerum, conspiratorque malorum
 Sic fugienda meæ speras euadere dextra
 Tela? Acheronthæis lethalem credis in Vmbris
 Condere perfidiam? fugiens potes ire, sed vnum
 Ne Crucis effugies ictum, nec inultus abibis
 Humani seductor aui: Per liuida carnis
 Fulnara, per sacras diffusi sanguinis vndas
 Factus ego mundi reparator, & Vltor auerni
 Tartareis præsens adsum fortissimus Vmbris
 Aduena, Circæo te deffensurus ab astu.
 Et peto prisorum misso mibi debita Patrum
 Pignora, quare tibi & serua consortia recum

Cætera mortali scelerum corrupta veneno,
 Pristina iura tui pereant, vetitæque recedant
 Præstigia, per quas hominum tibi corda parasti
 Subdita & innatis vacuasti sidera donis.
 Sic placitum sanctumque: tui pro crimine furti
 Ignea venturos te pœna retorquent annos.
 Atque per æternum dicti placitique tenorem,
 Erectam, quam porto, Crucem vereare, nec usquam
 Hanc contra, stygias possis impendere fraudes.

Dixit, & armata compressit Tartara dextra;
 Sicque salutiferi contusus robore ligni
 Infernus gemuit, debellatusque priori
 Iure suam doluit Christo submittere frontem.
 Regi quale suo per deuia iura rebelle
 Vulgus, vbi longa valli obsidione retusum
 Cogitur aduersis victum se subdere signis,
 Subditur inuitum tandem, ceditque; superbum
 Nifaceret, merita vulgi rurisque ruina
 Igneus accensos Princeps consumeret agros.
 Quidquid id est, supero Regi parere necesse est.
 Atque etiam Christo cedunt submissa Barathri
 Spectra, venenatos non impressura colores
 Humanis posthac oculis; fatalia linquit
 Atropos, & soeia, Clotho Lachesisque Megera
 Stamina; iuridicam dolet amisisse coronam
 Æacus; ereptos plorat Radamanthus honores.
 Eumenidum furiosa cohors ingloria mæret
 Callida captanda perdens vestigia præda.

Finibus Euerfis Erebi, domitoque rebelli
 Principe, susceptam properè Iesseius heros
 Perrexit complere viam, Patresque requirens
 Tollendos stygijs, conducendosque supernis
 Sedibus, Herculeos iuit referendo labores;

Nam prius infernis quam Alcides Thesea nodis
 Solueret, attonitum claua trem fecit Auernum,
 Trinaque Cerbereo compressit guttura monstro.
 Et fuit ad Patres ventum, & resoluta fuerunt
 Vincula, laxati proceres, duroque redempti
 Carcere, collectum læti duxere triumphum;
 Milleque prominentes modulos, & gaudia mentis
 Mille, salutato cœperunt plaudere Christo,
 Taliaque ad plausam retulerunt verba salutem.
 Quando serena tuam placidi clementia cœli
 (Sancta Dei Soboles) diuino munere mentem
 Impulit humanis præsto concurrere pœnis,
 Et nostrum laxare iugum; Quas ordine primo
 Ibimus emeritas passo tibi soluere grates?
 Quæue hominum, superumque tuo mens grata fauori
 Sufficiat tantouæ queat par reddere dono?
 Sufficiet vestra (Patres) Prudentia vita,
 Christus ait, nam vera fides mundoque domari
 Nescia spes, diuini animus seruator amoris
 Iam pridem superis charos vos fecerat astris;
 Vos etiam è terris dudum super æthera tractos
 Fecisset superum socios, & quæque reseruat
 Dona Deus, vestros amor ille dedisset in vsus,
 Ni prius è primo deductam crimine pœnam
 Decretis Limbi decuisset soluere franis;
 Quando tamen sunt frana meo resoluta labore,
 Quando tamen sunt frana meo resoluta labori,
 Primaque diffuso deleta est sanguine labe,
 Surgite festini, nimium fuit hæctenus imis
 Sopitos cubuisse locis, mecumpue sereni
 Diuino (meruistis enim) clarescere cælo
 Tendite; ceu longi decuit vos esse doloris
 Consortes, meriti testes decet esse triumpho.

Eia agite, inceptam, duce me praeunte, sequaces.
 Ite viam, facilesque in sidera tendite cursus.
 Sed prius aeternum quam detur cernere Solem
 Elysijs modicum spectantes sistite campis,
 Donec ab Eoo Titam assuetus oriri
 Oceano certos expleuerit orbe labores,
 Pertuleritque diem, quo post restantia mortis
 Prælia victores armis hostilibus vna
 Ibimus aternas sursum captare coronas.
 Funereos exuta lares, & sedibus imis
 Peruigil ad vocem Christi ruit Ocyor Euro
 Canities veneranda Patrum, Christumque secuta.
 Postera prælato posuit vestigia signo.
 Sicut apes æstate suis aluearibus oræ
 Florida mellifluis quasitum sexta liquori
 Ordine composito properant, tamen usque sequuntur.
 Vnam præ reliquis positam, notamque priorem.
 Primus ouans inuit Christus Patrum ordine cunctis,
 Et stygijs plenus spolijs; non possit honore
 Consimili Princeps lauro victrice superbus
 Ire, nec acceptæ venator munere prædæ.
 Vt lætas venere locos, horique viretum
 Elysijs, primo motus certamine Christus
 Mortis adimplendo celeravit ouare triumpho;
 Atque etiam vicina aderat certaminis hora,
 Et geminum toto trinum referare paratus
 Orbe diem Phæbus rubris referarat ab oris.

Stabat in aduersa perclusi parte sepulchri
 Effera peccati soboles, Acheronte profundo
 Tristior humanis damnum exitiabile natis
 Pallida mors, vetitum mundo inueterata per esum
 Quæ Radamanthæis priscos populata colonos
 Legibus, assiduisque hominum iurata rapinis

Præcipites quoscunque, sua vi falcis, agebat
 (Proh dolor!) in miseræ animos & corpora penas.
 Atque sub horrendâ stabat munita figurâ
 Falce saginata ad dextram, telisque sinistram
 Lethiferis; illam sociæ circum vndique turma
 Subsidijs præsto stipabant; parte labores
 Vna aderant, luctusque alia; centena dolorum
 Agmina, & innumeri geminabant prælia morbi
 Perfida monstra, feris nudata per ossa colossis
 Emula, mordaces animis iactantia curas.

Ut celer adueniens tumulo iam proximus hæsit;
 Atque ita stipatum vidit Iesseius hostem
 Amphitrioniades; totum, nil plura moratus;
 Se tulit in mortis iugulum, dextraque potentis
 Armiger antiquo spoliata iure fugavit,
 Vnguibus auulsis trucibus, terrisque subacta
 Fronte, percussis fracta cum falce sagittis;
 Atque ita diuinæ retulit sua gesta loquelæ.

Quid vesanata tendebant arma cohortis
 (Mors fera)? quidue meam spectabas vnus instar
 Sontis Amazoneo mentem configere telo?
 An, quia virgineo latuit te corpore tectum
 Numen, & æterni fugit te gloria Verbi?
 An, quia me diros subiturum sponte labores
 Noueris, imbellesque meos tibi duxeris artus?
 Quidquid id est, trinæ spectatio vana diei
 Hæc fuit, inque tui confusos iuit absens.
 Si mea mortali læsisti vulnere membra,
 Ne fontem læsisse putes; si criminis ergo
 Primænos læsisti homines, non lædere Christum
 Sic poteris, quacumque furor te muniat arte:
 Ipse etenim tanto munimine fortior adsum
 Viribus indomitis, & aperto Numine promptus

Ire tuis victor spolijs, ipsamque lubenti
 Quam dare credebas, propriam tibi reddere mortem;
 Atque in me iactas in te torquere sagittas.

Mors aegidum, sacram temeraria pungere carnem
 Iam morere, & sanctis dirumpere vespa sub armis:
 Sic stimulo priuata tuo non ultra valebis
 Mortua venturas (grates mihi) lædere mentes.

Ergo æge, mandato citius loca patria, nigros
 Viselares, victisque tuis consortibus Orco
 Peccatoque tuæ fer nuntia certa ruinæ.

Telia cælistis victor non dixerat, imas
 Quæsiit extemplo cum mors confusa latebrās,
 Hicque sepulta manet, nolentes lædere mentes
 Nescia; iure tamen primolæsurā volentes.

Plaudite iam vestro Regi modulamine pleno
 Insontes animi, veterem terrore soluto
 Ponite tristitiam; ductique ad gaudia, lætis
 Insultate modis: mort exulat; Orcus anhelat;
 Et prædam amisisse dolet, Christusque triumphat.

Ecce triumphantem vice trina, iterumque parantem
 Virtutem monstrare suam: cum tertia venit
 Alma dies cursu solito reuoluta, beatam
 Testatura cito miseris mortalibus horam.
 Spiritus ingressus tumulum penetrauit inane
 Corpus, & impositæ non factæ fragmine Petræ
 Huc rediit: materno etiam non viscere læso
 Ipsemet humanas infans iutrauit in auras,
 Proximus & clausis bisseño assistere portis
 Consilio; quidni sic posset, quando minori
 Sol valet illæsum radio configere vitrum?
 Atque, vbi bis geminæ diffuso munere dotis
 Pristinæ corporeas animauit forma medullas,
 Et proprio citius redimimus funere Christus

Exiit, emissam quam laxo iune sagittam
 Conciperes tanta: tremuit custodia signo,
 Cœcaque fulgurcum valuit non cernere vultum;
 Mirati cecidere animis audacibus hostes,
 Et natam misero stupuerunt funere vitam.
 Tu quoque miratus tanta consinia terra
 Vidisses solito plusquam clarescere Phæbo,
 Dum noua victoris præluxit gloria Christi:

O; quem te memorem (Princeps Iesseie)! quantis
 In tanto splendore canam te laudibus! an te
 Phœnicem referam, solius qui munere Phœbi
 Innotat auratas rediuiuus ab aggere pennas?
 Nil sonat in meritum Phœnix, tu quippe resurgis
 Pulchrior è tumulto, & Diuino munere viuis.
 An te alium potius memorem in victricibus armis
 Heroa Herculeum, proprio qui robore fultus.
 Antea custodem superis compressit in auris,
 Attra Venenato compressit colla draconi,
 Et tandem Hesperijs victor portauit ab hortis
 Aurea poma, suæ charissima pignora clauæ?
 Et nihil iste tuoresonat (Done Christe) triumpho,
 Namque Gigantæam mortem, stygiumque draconem
 Iratos animis hostes melioribus armis
 Viciisti, & sanctos Limbi de carcere tractos
 Victor ouans proprijs renocasti in sidera Patres
 Viribus, inde sacra fulget tibi gloria carnis.

Vos quoque post multos separata mente labores
 Corpora perclusis tumulorum condita fossis
 Successus spectare nouos, animisque resumptis
 Certa triumphanti sperate resurgere Christo.



SECUNDA PARS
 HUIUS OPERIS
 TRIPARTITI.

*De gloriosissima Virgine Maria, ac pri-
 mum de Sanctissima Capella
 Garrazonia.*

EPIGRAMMA.



*Os Garrazonia surgunt pia recta pa-
 renti*

*Transiit in rectas aspera terra vias
 Et deserta prius, nullisque habitata colonis*

Rura abiere pijs in sacra templa modis.

Talia mira tui non sunt, natura, laboris;

Ergo tui, Virgo, mira favoris erunt.

De fonte eiusdem Capellæ.

Virgo per irriguum Templi propè limina fontem

Reddit ab humanis corpora sana malis.

Quidni (Virgo potens) cum sis clarissima Vasti

Stella maris; virtus optima fonsis eris?

De Imagine Deiperæ in medio Altari repõsita
cum hac inscriptione

Pietatem exhibent viscera pietatis.

*In: ima diuina pietatis viscera Virgo
Exhibet humanis commiserata malis.*

*Visne (homo) te tantã dignum pietate sodalem
Reddere ? fraternæ cor pietatis habe.*

De alia inscriptione , *Veni Columba mea.*

*Casta Columba veni ; s; vox sonat edita sponsi ,
Et mea , rursus ait , casta Columba veni.*

*O vrinam ad superi promissa palatia Cæli
Vox sonet ista mihi , casta columba veni.*

De alia inscriptione.

Vox turturis audita est in terra nostra

*Turturis in nostra resonant suspiria terra ,
Sanctus vbi interno spirat in ore dolor.*

*Turturis ah ! miser est qui vocem audire recusat ,
Et magis impuri passeris acta probat.*

De multis eiusdem Beat. Virginis mysterijs ; ac
primùm de immaculatâ Conceptione.

*Quisquis Adamaa miraris stirpe Mariam
Omnimodi expertem criminis esse satam.*

*Virtutem potius Christi mirare potentem ,
Qui Deus ex ipsa Virgine factus homo est.*

De eadem.

*Ceu rosa de spinis oritur , nec leditur vllis ,
Nec fuit humanis Lasa Maria malis.*

*Non fuit vllius naturæ sortis & artis
Hic labor , at supero mirus ab axe fauor.*

Aliud.

*Per mirum ecce modum Concepta Maria : quid ergo
Quaritur , an talis sit sine labe modus ?*

Illam ventre suo sterilis s; concipit , ipsam

*Excipit à culpa fertilis, isque Deus ;
Et bene ; miro homini qui condidit ordine mundum ,
Nobiliore sibi condidit arte domum.*

De Natiuitate eiusdem.

*Virgo Maria suum recreans terrena per ortu
Incipit humanâ minimum ne noxia culp
reddere latitiam quam prima ab origine mate
entibus abstulerat ; prior hæc portauerat orb
omne malum ; sed nata bonū tulit omne Mari*

De eadem Natiuitate super his verbis Antiphonæ festi quæ sunt.

Natiuitas tua Dei genitrix Virgo gaudium annunciauit vniuerso mundo.

*Nata Maria nouo prædixit gaudia mundo ;
Non tamen ad quosuis fas sinit ire iocos.*

*Ergo quid ? externi si talia gaudia non sunt
Corporis , interni gaudia cordis erant.*

Ex te enim est Sol Iustitiæ Christus.

*Mens pia , ne stupeas Christum cum credis , & audis
Solem Iustitiæ Virgine matre satum.*

*Iustitia huius erit ventura in sacula Solis
Plena favore bonis , plena rigore malis.*

**Qui soluens maledictionem dedit
benedictionem.**

*Sol benè qui pellit tenebras , & lumina profert ,
Iustitiæ Solem , luce fauente , refert.*

*Hic , ubi virginea terris illuxit ab aluo ,
Expulit omne malum , protulit omne bonum.*

**Et confundens mortem donauit nobis
vitam sempiternam.**

*Mirus agens vita Sol præstat in ordine rerum ,
Et melius mentes viuere Christus agit.*

Iure quidem ; cuius diuino munere terris

Mors confusa fuit, reddita vita fuit.

De nomine Mariæ.

Voce sonat, factis & amari digna Maria est;

Hanc, Homo, tu qualem tendis amare? mare.

Voce etiam sonat illa maris, non criminis illo

Turbine, sed meriti plenum erit illa mare.

Ergo quid implendum veneranda in voce Maria?

Si quis eam voto supplice clamet, amet.

De Præsentatione Beatissimæ Virginis.

Præsentata Deo, temploque oblata triennis

Quam placita & Cælo grata Maria fuit!

Quidni grata fores Cælo? qua tota decora

Corpore, mente iterum tota decora fuit.

De Annuntiatione eiusdem, & de Salutatione

Angelica, ac primò super his verbis.

Aue Maria

Angelus electam supero de Patre Mariam

Venit honoratam verbi prædicere matrem.

Et primum flexis genibus facieque verendâ,

Water Aue, dixit, verso de nomine matris

Antiqua; talem titulo meliore salutem

Reddere non poterat, matris nam debuit Etæ

Inuersum deferre parens castissima nomen:

Et que etiam mundo diuersum protulit omni.

Gratia plena.

Audio cum plenam diuinâ dote Mariam,

Magnum illam meriti credo fuisse mare,

Hic bene cælestis diffusa est gratia, sicut

In mare flumineas ire videmus aquas.

Dominus tecum.

Pro charo Dominus sibi templo, proque colendâ

Virginis elegit viscera casta domo.

Præ cunctis igitur quidni (Virgo optima) tecum

Sit Dominus, Domino tam pretiosa domus.

Benedicta tu in mulieribus.

Femineo præstas Virgo dignissima sexu

Et meriti & fœtus nobilitate tui.

Fœmina quæque reum dat fœtum; Virgo dedisti

Non maledicta reum, sed benedicta Deum.

Et benedictus fructus ventris tui.

Femineo infelix exit de viscere fructus;

Fructus Virgineo ventre beatus igit.

Quam dispar reliquis venter de ventribus! illic

Est operatus Adam noxius, hicque Deus.

Iesus.

Esu Virgo tulit, Iesu cui nobile nomen

Et misit superis genitor cœlestis ab astris.

Et ydæra cui subsunt, posito cui Tartara fastu

Et sique tremunt, etiam tellus hoc nomen honorat;

Et pia mens tanto sub nomine Numen adorat

Sancta Maria mater Dei.

Natus ab æterno est, genitusque in tempore Christus,

Hic sola est mater, solus ibique pater.

Utraque principio tendit generatio sancto:

Sancta igitur Mater, sanctus ut ipse Pater.

Ora pro nobis peccatoribus.

Maxima mortales Mater miserata, medelam

Munifica morbis mitte Maria manu.

Magnificam miserum munisti munere mundum:

Munera mundando mitte Maria mihi.

Super his verbis, Angelus Domini nun-

ciauit Mariæ.

Angelus ad castam cœlesti in honore Mariam

Venit, & à supero nuncia Rege tulit.

Rara & digna coli Cælo terraque Maria!

Quam Deus Angelico iussit honore coli:

Et concepit de Spiritu Sancto.

Sancta suum sanctum (aerisum operante pot. nti
 Flamme) concepit ventre Maria Deum.
 Quam fuit illa Deo conceptu ventris amica!
 Sed magis conceptu mentis amica fuit.

Ecce Ancilla Domini.

Mater ab Angelico dici Diuina ministro
 Non placet, ast humili corde Maria stupet.
 Attamen Angelicis repetens sermonibus iuit
 Se famulam Domini dicere Virgo sui.
 Iure quidem est ancilla, Deo qua seruijt vni;
 Cumque fuit culpa nescia, Mater erit.

Fiat mihi secundum verbum tuum.

Grande Deus per fiat opus miro ordine fecit:
 Virgoque per fiat tale refecit opus.
 Rursum age pro terra, dic (Virgo pijsima) fiat,
 Et fiet meritis prospera terra tuis.

Et Verbum Caro factum est.

En Caro, qua tribulos spinasque humana ferebat,
 Sauciaque à primi crimine Patris erat;
 Floruit, inque nouos iuit tum denique fructus,
 Verus enim ex illa fit Caro Carne Deus.

Nunc, Homo, magna tuae concessa est gloria Carni,
 Non probitate tua, sed bonitate Dei.

Et habitauit in nobis.

Humanos habitare animos, hominemque beare
 Verbum auct ex Vera Virgine factus homo.
 Mentem, Homo, terge tuam; mundis in mentibus ipse
 Nedum habitator erit, sed benefactor erit.

De hac salutatione, Ave.

Inuersum per Ave, dispar est Eua Maria:
 Causa erat Eua mali; causa Maria boni.

CARMEN REGIVM DE
PARTV VIRGINIS

*Per Allegoriam Conchæ Orientalis gem-
mam referantis.*

Descriptio Conchæ.

Quæ maris Eo largas spaciosus in undas
Porrigitur pontus, tempestatumque repressis
Fluctibus auratas nautis ostendit arenas:
Vnica, dum primum toto Sol incipit orbe
Flammis uentos vibrare globos, inuenta videtur
Concha coloratam, referans sine fragmine
gemmam.

Adaptatio Mariæ.

Concha sua (si fas mihi sit diuina profanis
Addere) fecundam referet virtute Mariam.
Hæc, ubi diuina sedatis fluctibus ira
Mysticus amissam cœpit Sol reddere lucem,
Sola salutifero mergi stetit in scia portu

Virgo coronatum generans sine crimine Chri-
stum.

Desc. Quò primum medio visa est in littore Concha,
Pax instat secunda mari; non amplius vllos
Nauta timens fluctus tumidum cecidisse fragorem
Compositis prædicit aquis æ felicia tanti
omnis interno defert præsagia signo

Concha coloratam referans figure fragmine
gemmam.

Adap. Atque ubi terrenis Virgo comparuit oris
 Nata, fatigata noctis caligine gentes
 Venturum sensere diem; durisque tot annos
 Sollicita scelerum curis nouere futurum
 Desuper auxilium Christi, cui præmia venit
 Virgo coronatum generans sine crimine Chri-
 stum.

Desc. Dicitur inuentas alieno in littore Conchas
 Diuersos retinere modos; solam vna figuram
 Concha habet, & viuos intus tenet altera pisces.
 Nescio, num fectas referant Pætolica gemmas
 Flumina; nostra tamen Phæbo dabit auspice veram

Concha colorotam referans sine fragmine
 gemmam.

Adap. Pleraque per certas inuenta est fœmina terras
 Sancta, sed intacta non amua facta Maria.
 Namque, ubi Virgineos quadam seruauit honores,
 Altera fœcundo concepit ventre; sed vna
 Fœcundo & casto miram dedit vberem prolem

Virgo coronatum generans sine crimine Chri-
 stum.

Desc. Qui sit, ais, hæc Concha? suos vnde accipit
 orsus?
 Spumeus ex vndis pelagi compressus in vnum
 Fit globulus, quem Phæbus humi squallore solutum
 Mundat, & impressor radiorum verberare sensim
 Perficit; inde suam retinet perfecta figuram

Concha coloratam referans sine fragmine
 gemmam.

Adap. Non secus humanâ deductam stirpe Mariam
 De summo Deus ipse vibrans charissima Cælo
 Munera, maternâ mundam seruauit ab aluo.
 Sancta fuit quondam mater no iniscere proles,

*Ante tamen Patris contracto crimine, quo non
Virgo coronatum generans sine crimine Chri-
stum.*

*Desc. Non Concham quadratus apex, trinusue figurat
Ang. lus, haud longum similis consurgit in ouum,
sed magè perfectò completur in ordine, nusquam
Authorem mentita suum; patuloque rotunda
Corpore, Phæbeo nil deficit amula gyro*

*Concha coloratam referans siquæ fragmine
gemmam.*

*Adap. Et Pia non trinos solum binosque Maria
Virtutum complexa modos, meliore rotundam
Perfecti summique gradus tulit arte figuram:
Ut pote supremi placito quæ nata Tonantis
Debit humanam diuina intexere formam*

*Virgo coronatum generans sine crimine Chri-
stum.*

*Desc. Inius habet gemmam, liquido quæ desuper imbre
Edita Phæbeum recipit solidanda calorem.
Non erit aurato dignus carbunculus orbe,
Non erit Eois gemma hæc electa lapillis;
Nobilius toto munus producit Eoo.*

*Concha coloratam referans siquæ fragmine
gemmam.*

*Adap. Nec fuit Elias Christus, Baptistaque paucis
Creditus, haud vnus priscorum ex ordine vatum:
Gemma salutata castis formata Maria
Visceribus fuit ille, Dei spiramine misso.
Quem tulit humani celsum præ Regibus aui*

*Virgo coronatum generans sine crimine Chri-
stum.*

*Desc. Nobilitas tanti gemino patet ampla colore
Muneris, aurato non sic patet Iris ab orbe,*

Arcum vbi per roseas bicolorem circinat auras.

*Albus inest extrà , ruber intrà ; Phæbus in isum
Dat radios , sed roris aquam conuertit in illum*

*Concha coloratam referans sine fragmine
gemma.*

Adap. Bina colorato Christi natura lapillo

*Nota , duas facies merito sibi iure coronas ,
Pnam humana imis , aliam diuina supernis.*

Huic Deus aternam diuino in Numine mentem

Contulit ; & castum dedit illi in corpore ventrem

*Virgo coronatum generans sine crimine Chri-
stum.*

*Desc. Mirandus multis modus est quo fragminis expers
Concha relaxatam protendat ab vbere gemmam.*

Phæbus inoffensum viuo qui lumine vitrum

Transiit , hanc simili potuit virtute reclusam

Eijcere , internam retinet sic integraformam

*Concha coloratam referans signe fragmine
gemma.*

Adap. Et Christus , superis qui natus , natus & imis

Diuinum in Cælis habuit sine Matre Parentem ,

Humanam potuit sine Patre in tempore Matrem

Sumere ; fæminei sicut Pater in scius actus

Gignit , & humani genuit non conscia tactus

*Virgo coronatum geminans sine crimine Chri-
stum.*

Desc. Miror ego rutilam quam stellis amula lucem

Gemma vibrat , septem quæ sibi foret addita Cælis ,

Octauum faceret simili fulgore Planetam ,

Claraque bis senis augetet lumina signis.

Mum rara est tanto Pelagus ditasse talento

*Concha coloratam referans sine fragmine
gemma.*

Adap. Quod dedit exemplum Christus, veramque reliquit

Ignaro doctrinam homini, præfata figurat
Lumine gemma suo: Peccati nubila noctem
Quam tulerant, dio Christus splendore fugavit.
Ravior est nostræ Christum peperisse saluti

Virgo coronatum generans sine crimine Christum.

Finis Desc. Ergo age, supplendi studio gens inuida
lucris,

Hactenus æquoreos frustra subiisse labores.
Sufficiat; dum certa potes ditescere portu,
Ne dubijs spem crede fretis, pro sænore verum
Quere modum, gemmam tales reseravit in vsus

Concha coloratam reserans sine fragmine
gemmam.

Finis Adap. Tu magè, mens humana, Deo conformis
& alto

Vota polo, mundi dubios incurrere casus
Desine; dumque datur facilis via, comprime cursus
Difficiles; captanda tibi se calica præbent
Munera, nam sanctum fausto dedit omine fructum

Virgo coronatum generans sine crimine Christum.

EPIGRAMMA
 SVPER HIS VERBIS

Beatus Venter qui te portauit.

Ventre Maria Deum concepit, & inde beata;
 Si que ego concipiam mente, beatus ero.

De partu Virginis ad comparationem partus
 Sanctæ Elizabetæ.

Felicem sterilis generauit Elija Ioannem,
 Et natum peperit Virgo Maria suum.

Quis fauor ex illis venit felicior orbi?

Non generasse hominem, sed peperisse Deum.

De Visitatione Mariæ ad Elizabetam

Iuit participem donis factura supernis

Visum cognatam Virgo Maria suam.

Et licet illa foret meritis prior omnibus illi,

Et prior in dandis adfuit officijs.

Quisquis is est, alijs qui corde animoque maligno

Inuidet, hic qua sunt proximo agenda uidet.

De Purificatione Beatæ Mariæ.

Natum enixa suum Virgo, cum pignore sacro

Venit ad expletum purificanda diem.

Et Templum festina adiit, contenta sereno

Corde per antiquam legis adire viam.

Non tua, casta parens, fuit hac, nec debuit esse,

Sed tua, Homo, potius debuit esse via.

De eadem.

Ne minimum purganda fuit Castissima semper

Virgo tamen Templum Purificanda venit.

*Frustra, homo, ne credas ad Tempia Venire Mariam,
Nam Veniens Templum monstrat ad astra Viam.*

*Et Moysis quando gratis fit subdita legi;
Non sibi, sed legem crede subire tibi.*

De Candelis accensis ipso die Purificationis.

*Ad sacra de nostris manibus qua Tempia feruntur,
Ad meritum tendunt lumina, Virgo, tuum.*

Visne, Homo, quid melius prestare & munere dignum?

De Corde in Christum lumen amoris eat.

De ipsomet mysterio Candelarum.

Lumina Christipara delata in honore Mariae

Irradiant miris ad sacra Tempia modis.

*Debuit in Templis recipi cum lumine Virgo,
Namque ea diuinum Lumen id orbe tulit.*

*Super his verbis, Post partum Virgo inuiolata
permanisti.*

Integra tota animo, tota integra corpore semper

Virgo fuit partum post, in, & ante suum.

Tam bene nulla suum compleuit femina partum.

Quippe homines generat femina, Virgo Deum.

*De Assumptione Beatæ Virginis ad comparationem
descensus Luciferi.*

Lucifer è supero præcepit ixi axe deorsum

Mente suâ, & sursum carne Maria suâ.

Vnde igitur talis contrarius exitus inuit?

Mente erat ille grauis, carne erat ista leuis.

*Super his verbis, Signum magnum apparuit in
Cælo: Mulier amicta Sole.*

Virgo sacra ad summum ceu fulgida tendit Olympum

Femina, luci uero Solis amicta globo.

Non tamen hinc fulget, claro cum tendit amicta

Sole, sed ipsa magis fulget, Amica Deo.

Luna sub pedibus eius.

Immunem inserimus mundanâ sorde Mariam,

Astat ubi plantis subdita Luna suis.

Nulla pedes infra humanos est Luna; quid ergo?

Est intra humanum pleraque Luna caput.

Et in capite eius Corona Stellarum duodecim.

Cum bis Sena tuam circumdant Sydera frontem,

Novimus hinc meritum, Virgo verenda, tuum.

Quæris) Homo) cur nulla caput tibi Sydera cingunt?

Obsistunt animi nubila vana tui.

Hodie Maria Virgo Cœlos ascendit

Virgo nedum animo sed sacra munere Carnis

Ocyor Angelicis iuit in astra choris.

Nusquam homo sic agilis, nec cœlicus aliger iuit,

At neque sic humilis corde animoque fuit.


Gaudete quia cum Christo regnat in æternum.

Gaude (Homo) cum Virgo miris elata triumphis

Gaudet in excelsis summa Magistra throno.

Magna erat in terris eius tibi gratia dotis,

Ipsus in Cœlis gloria pluris erit.



DE QVINDECIM MYSTERIIS

Sacratissimi Rosarij Beatæ Viuginis sub
hac denominatione.

Rosa mystica in generali.

Serta Mariana referens ter quina Corona,

Duxi ea purpureis equiparanda Rosis.

Gaudia sunt frondes, flos gloria, spina dolores;

Hanc igitur sacram quis neget esse Rosam.



In pareiculari, ac primum de gaudijs.

De Annunciatione Angeli B. Virginii

omnibus ex nobis tu sola Maria fuisti

Ne minimum primi noxia labe Patris.

Idcirco è superis descendens Aliger astris

Ve tibi non dixit, sed tibi dixit Aue.

De Visitatione.

Visere cognatam Virgo properavit Elizam;

Et miserum propera visere (Virgo) hominem.

Nusquam erit ille tuæ meritis equalis Eliza,

Attamen ipse hum li corde sodalis erit.

De Natiuitate Christi,

Maximus humani vestitus Carne puelli

Nascitur electa Virgine Matre Deus.

Quid credam, quæris, venturum hinc vtile? mundum

Credo reum absolui, nasci vbi cerro Deum.

De Præsentatione Christi in Templo.

offertur Templo Christus Charissimus infans,

Vix quadrageno natus in orbe die.

Eia age, curre sacro, Pia mens, accedere Templo:

Cui, petis, oblatu sit puer ille? Tibi.

De Disputatione Christi contra Doctores.

Differuit Christus bisseum ingressus in annum,

Confusosque suâ reddidit arte s'phos.

Quisquis is es, tanto te subdere disce Magistro,

Illius ars doctis præualet ingenijs.

**De Mysterijs dolorosis, ac primum de Oratione
in Horto.**

orat in Horto, humili genitorem pectore Christus,

Seque parat finem ponere criminibus.

Crimen in Horto etiam, rigor & cum crimine capit,

Iam fauor ex Horto, non rigor vllus erit.

De flagellatione ad Columnam.

Christus ad erectam religatus fune columnam

Innumero casum verberare corpus habet.

Lugendum humanis pomum mortalibus vnum,

inde humeris pendent verbera, Christe, tuis.

De Spinea Corona.

Natura à primo miseros humana parente

Fert tribulos, fructum nescia ferre bonum.

Namque ea diuino spinas dedit impia Christo;

Spinea diuinis ecce Corona comis

De Cruce portata ad locum Caluarix.

Discerptis etiamne potes (bone Christe) lacertis

Ad tua fatalem funera ferre Crucem?

Qua pietas, pondus lacerata. Carne tulisse

Tam graue! Sani homines discite ferre leue.

De morte Christi in Cruce.

Cerne, homo, pendentem media Crucis arbore Christum,

Vt pro te miseram sponte subire necem.

Vtque, homo, mors Christi tibi sit meritoria, nedum

Est spectanda oculo, sed meditanda animo,

De Mysteriis gloriosis, ac primo de Resurrectione Christi.

Diuinus proprio Christus surrexit in artus

Numine, peccato mortuus ipse semel.

Tu quoque diuino tendisne reuiuere dono?

Desine peccato viuere, viue Deo.

De Ascensione Christi.

Magnificum tendit Cbrissus super astra triumphum,

Venturus rigido Iudicis inde throno.

Gens Deo amica, bono potes hinc sperare fruendum

Omne; tuque, Deo gens inimica, mal.

De descensu Spiritus Sancti.

Diuinus superis accendere venit ab astris

*Cœlico Apostolicum Spiritus igne chorum.
Alme Deus, restat nos igne accendere tanto,
Pra nimio carnis fomite friget homo.*

De Assumptione Beatæ Mariæ.

*Angelicis stipata charis ascendit in arces,
Sydercas summi mater honore Dei.*

*Digna erat illa gradum cœlis intendere talem;
Fecit eam ex omni gratia labe leuam.*

*De Exaltatione eiusdem super Angelorum
choros.*

*Eminet in cœlis dilecto proxima Christo,
Et super Angelicos Virgo Maria choros:*

*Virginitate quidem, quâ nil pretiosius iuit,
Et nihil in toto sanctius orbe fuit.*

*De ipsamet Exaltatione B. Virginis super his
verbis, Exaltata est sancta Dei genitrix su-
per, &c. in modum quæstionis.*

*Quæstio, cum Christus matrem exaltauerit, orta est,
Quem meritum cœlo possidet illa locum.*

*Virgineis quidam referunt regnare Mariam,
Pro summa & duplici Virginitate, choris-*

*Confessorum alij cedunt ei in ordine primas,
Qua fuit in terris ipsamet integritas*

*Aut, cum Martyribus fuerit constantia major,
Hanc ideo in tali sede coronat honor.*

*Alter Apostolico primam residere senata
Asserit, ut maior zelus amorque fuit.*

*Aut, ubi Sanctorum sapientia cognita vatam
Hac minor est, illis summa magistra præest.*

*Multorum arbitrio regnans stat in ordine Patrum,
Vt pote maiorem mentis adepta fidem.*

*Tandem concludunt alij cœlo esse Mariam,
Qua prait Angelicis purior ipsa thronis.*

Vera refert qui Regina super caelestia ponit,
Et prope dilectum credit adesse Deum.

Ode Sapphica de Assumptione Beatæ Virginis
per descriptionem & adaptationem
Columbæ.

Descriptio. *Visa sublimes agilis per auras
Arduis cingi volucrum choreis,
Et citos supra celer ire ventos
Casta columba.*

Adaptatio. *Talis alatis comitata diuis,
Et columbares imitata dotes
Iuit e terra penetrare cælum
Virgo Maria.*

Descriptio. *Fertur humana mage grata genti;
Quippe præ cunctis auium catervis
Dote-pennarum meliore præstat
Casta columba.*

Adaptatio. *Atque diuina mage chara menti
Quam pia ventos superæque mentes,
Dote virtutum meritiq; fulsit
Virgo Maria.*

Descriptio. *Hoc prius casta præit in columba,
Omne quod spurcum fugiat, suoque
Simplicem tendat cubitum columbo
Casta columba.*

Adaptatio. *Sic & aduersum niuei pudoris
Fugit, & sponso supero fidelem
Cordis intacti thalamum sponondit
Virgo Maria.*

Descriptio. *Nonne selecto saturanda grano
Putridum quoduis renuit cadauer,
Nec solet crassis dare guttur escis
Casta columba.*

Adaptatio. *Atque nec terris minimum dicata,
Tota sed cœlis animata, sanctos
Mouit affectus repulitque vanos*
Virgo Maria.

Descriptio. *Pittaco dispar, reliquisque rostro
Garrulis, mœstos sonat ore fletus;
Semper interno lacrymata corde*
Castia columba.

Adaptatio. *Quamdiu viuax fuit orbe, nostræ
Oris & cordis gemitus ruina
Fudit, humanos miserata casus*
Virgo Maria.

Descriptio. *Non sibi nidum teneris in herbis,
Arborum nec sub foliis, sed intra
Asperum petra statuit foramen*
Castia columba.

Adaptatio. *Nec voluptati nocuisque mundi
Gaudiis mentem retulit, sed vsquè
Grata diuino studuit labori.*
Virgo Maria.

Descriptio. *Fortibus pullos genitos in alis
Intimo sursum docet ire nido,
Et repentinos mouet ad volatus*
Castia columba.

Adaptatio. *Atque deuotos sibi quosque seruat
Casibus mundi miseris solutos,
His & affectus animat supernos*
Virgo Maria.

Descriptio. *Insuper mundi eluie peracta
Mysticam fertur retulisse Noè,
Cæterisque arca sociis oliuam*
Castia columba.

Adaptatio. *Sicque sedato scelerum rigore,*

Nata per charum Superi fauorem
 Numinis pacem retulit serenam
 Virgo Maria.

266

Descriptio. Ergo nil compar fuerit columba;
 Mira per pennas animumque dotes
 Anteit miros auium volatus
 Casta columba.

Adaptatio. Et nihil compar fuerit Maria;
 Post triumphatos super ima fastus,
 Nobilem fecit super astra cursum
 Virgo Maria.

Descriptio. si duplex terras quateret ruina,
 Credo quod bina vice missa ferret
 Alteram vernis foliis oliuam
 Casta columba.

Adaptatio. si quid aduersi miseri que casus
 Tendat in diras hominum ruinas,
 Presto de caelis aderit benigna
 Virgo Maria.

De festo ad Niuēs.

Fœcundas pia Virgo niues emisit ab astris,
 Magnus ubi terris contigit esse calor.
 Mitte niuem nostris aliam Virgo optima, lumbis
 Æstuat hic dirus demonis arte calor.

Aliud.

Visa est in medio æstiu feruore caloris,
 Desursum in terras mittere Virgo niues.
 Diuinum dedit illa prius casto vberē rorem;
 Quando dedit rorem, num dabit ipsa niuem?



TERTIA PARS

HVIVS OPERIS TRIPARTITI.

*Ac primo, De omnibus Sanctis in generali,
super his verbis,*

Iustorum animæ in manu Dei sunt.

C*Ælituum quàm larga domus, quàm magna
cæterua,*

*Cui datur æterno viuere & esse Deo!
Hic tibi sperandum Iustorum ex ordine mens, est.
Solus ibi iusto ex ordine cærus adest.*

*Super his verbis, Vidi turbam magnam.
Magna est Turba, Deo superis quæ viuit in astris;
Si datur hîc nobis viuere, maior erit.*

DE SANCTIS IN PARTICVLARI ac primum, De Sancto Michaële Archangelo.

*Tergora Luciferi Michaël Cruce contèrit, ex quo
In superum voluit perfidus ire Deum.*

*Rersus homo; ille tuæ stygia furit artæ ruina,
Contra age, sume sacram cum Michaële crucem.*

De Sancto Gabriele.

267

Virginea quivis non ales nuntia matri,
 Sed supero Gabriel missus ab axe tulit.
 Angelicos inter Gabriel qui maior ephebos,
 Est tamen ad meritum Virginis ipse minor,
 De Sancto Angelo Custode.

Hostis abhorrendus stygius, custosque fidelis
 Cælicus humana gente colendus eat.

Quo magis ille mihi diuerso tramite tendit
 Insidias, plures hic facit excubias.

De Sancto Ioachino Beatæ Virginis Patre.

Quando Ioachimus mundo sine labe Mariam
 Edidit, & dignum pignus amore dedit:
 Dixeris hunc esse Patrem, aut quid maius nomine Patris?
 Magni operis potius dixeris artificem.

De Sancta Anna matre præfatæ Virginis, su-
per his verbis.

Terra nostra dedit fructum suum.

Nostra dedit fructum (cælo auspice) terra, beatam
 Cum sobolem mundo fertilis Anna dedit.
 Et licet ex nostra foret Anna propagine terra,
 Terra tamen dio culta labore fuit.

De eadem.

Deserta & sterilis fuit Anna & prolis egena,
 Et sterilis sacro munere mundus erat.

Utque enixa sacram facundo ventre Mariam
 Anna fuit, mundo tunc bene manna pluit.

Aliud.

Anna, tibi magnum data filia præstat honorem,
 Sed Deus ipse nepos est tibi maior honos.

De Sancto Iosepho Sponso Virginis.

Electam tibi pro sponsâ, Iosephe, Mariam
 Custodi, ut Domino tuta sit illo tuo.

*Æterni siquidem verbi est domus aurea, cui non
Arte tua posses adificare parem.*

Aliud.

*Charus Christipara sponsus, Iosephe, fuisti:
Atque ego, si caste vixero, charus ero.*

De Sancta Elizabetha.

*Res noua, quod sanctum sterilis iuuenilibus annis
Fertilis in senibus filium Eliza dedit.*

*Arbor amica Deo fuit, & mira arte referta;
Arbor amica fuit? fructus amicus erit.*

De Sancto Ioanne Domini Præcurfore.

*Nuntia solis adest terris aurora Ioannes,
Qui repanat toto gaudia multa solo.
Grande bonum hoc nato cœpit se fundere terris;
Quale bonum fuerit, sol vbi natus erit?*

De sanctis Innocentibus.

*Cum Pueri insontes mactantur in vberem matrum,
Contusas memini Turbinis imbre rosas.
Sed rosa lasa semel marcet, nec prosilit ultra;
Hi tamen in veras prosiliere rosas.*

De sancto Stephano Protomartyre.

*Diuinam Stephanus saxorum grandine casus
Oratum tumidis hostibus iuit opem.
Parce (præcor) dixit nec talia crimina cæcis
Largitor veniæ, Christe, repende viris.
Continuo athercas vidit sibi pandere portas,
Et Christum à supero tendere Patre manum.
Quisque hodie Christum vellet sibi pandere cælos,
Hostibus at vellet parcere nemo suis.*

Aliud.

*Per multos Stephanus lapides tenet astra Beatus;
Ast ego per solam spero tenere Petram.*

De Sancta Martha.

268

Martha suum hospitio Dominum officiosa recepit;

Accipere hospitio, mens pia, tuque potes.

Charum illud Domino hospitium, charumque secundum,

Sed magè quod charum dixeris esse? tuum.

De Diua Magdalena, super his verbis, Mulier
quæ erat in ciuitate peccatrix.

Magdalis augustam mulier famosa per urbem

Continua & præcepit ibat in omne malum.

Sed tandem ad Dominum venit conuersa Magistrum;

Iam famosa mali non erit, immò boni.

De eiusdem conuersione.

Sol nebulam in pluuias vertit; sed dignius egit

Christus, ubi vertit Magdalin in lacrymas.

Cum bene sunt pluuia ros & mera germina terre,

Tum magè sunt lacryma vita salusque anima.

De eadem ad pedes Domini lacrymante.

Magdalis inuersos turpi de fronte capillos

Proiicit ad Dominos corde dolente pedes.

Hicque meras fundit lacrymas: iam possumus illam

Crederè conuersam stagna in aquosa petram.

De eadem.

Solliciti & multum chari, pia Magdala, debent

Humanis oculi gentibus esse tui.

Hi causa mali per risus ante fuerunt;

At nunc per lacrymas sunt tibi causa boni

Epigrammata de Apostolis & Euangelistis, ac
primo de Sancto Petro Apostolo

primo.

Cum sacra per Dominum fundata Ecclesia Christum

Perpetua Petro clauæ regenda datur:

Grande onus impositum est, portandaque maxima moles;

Iam bene te Petram dicere, Petre, potes.

G

50
De eodem.

Petre, tuum nomen faustum tibi protulit omen,

Nomine Petrus eras, omine Petrus eris.

Nam fundata tuis Ecclesia sancta lacertis

Et Petrum & solidam te facit esse Petram.

De eodem Vinculis absoluto.

Fecit Magna Deus, Petro cum vincula soluit.

Cumque hominis soluit crimina, plura facit.

De Sancto Paulo vase Electionis.

Vas fuit electum diuino munere Paulus;

Si petis, electo vase quis insit odor?

Magnus inest, & quod vix dixeris, vnde cruentus

Manabat fætor, manat amamus odor.

De Martyrio vtriusque.

In Cruce Martyrium Petri ven. rabile fulget,

Martyrium Pauli nobile in ense micat.

Attamen ex istis vnum peto dignius; enssem

Paule tibi serua; da mihi Petre, crucem.

De Sancto Andræa.

Andream Christi famulum scriptura recenset

Ex quo in Apostolico perstitit officio.

Ast ego, cum passi tenuit vestigia Christi,

Verum & constantem dixero discipulum.

Aliud de eodem.

Fortis ab Andreias Andreas nomine vero

Quando sonat, fortem tum mage facta probant.

Mundum quippe truce[m] valido vicisse refertur

Robore, & optatam sponte tulisse Crucem,

Sed quanam ex illis victoria præualet actis?

Non superasse truce[m], sed tolerasse Crucem.

De diuo Iacobo maiore, super his verbis Euan-

gelij, Potestis bibere calicem, &c.

Exhibitum Domini calicem Iacobus in orbe

Hausit, & ardeni motus amore bibit.

Cum bibit hunc mundo, meruit bene viuere caelo :

Hic etiam uiuet quisquis amara bibet.

De Sancto Ioanne Apostolo & Euan-
gelista.

Inter Apostolicos iuuenis Galilaus alumnos

Castus erat, Christo tum mage charus erat.

Hinc, ubi diuina fierent conuiuia caene,

Incubuit Domino cor animumque sinu.

Quid magis? est multum cubuisse in pectore Christi;

Atque in corde Dei plus fluduisse fuit.

Aliud de eodem.

Quando datum est Christi gremio cubuisse Ioanni,

Excessus Domini magnus amorque fuit.

At mihi iam superest excessus maior amoris,

Quando datur Christo corde cubare meo.

De Sancto Thoma.

Difficilis Thomas rediuuium credere Christum.

Talem ibat tumido corde negando modum.

Christus ubi charos, tali praesente, reuifens

Discipulos verbis talibus usus est.

Dydime, qui uinum uero de sinere Christum

Insidus stupido credere corde nequis.

Aspice nunc ueram quam praesens offero carnem.

Palpandam, & digitis uulnere tange tuus.

Aspice, quos media subit Crucis arbore, clauas.

Et super ipse tuam, cum potes adde manus.

Cerne, & ad expertum palpa toto indice sensum,

Sine manus gemino cum pede, sine latus.

Palpa, animumque mea fidum conuerte loquela,

Et noli Domino perfidus esse tuo.

Dydimus acclamans Christo, Dominusque Deusque.

Ilicet ad Domini uerba fidelis iit.

Atque aliis palpanda pedum manuumque relinquen.

*Vulnera, palpandum sedit esse latus.
Non facit ignarus lateris enim vulnera palpat;
Hic medicina suo vulnere maior erat.*

De Sancto Iacobo minore.

*Iacobus Domini frater plerisque vocatus,
Atque habitus, simili frater & ore fuit.
At tu conformis Christosis corde, bonisque
Meritis; & Domini tunc bene frater eris.*

**De Sancto Philippo, super his verbis, Dominus
ostende nobis Patrem & sufficit nobis**

*Æternum petiit Philippus cernere Patrem,
Et sibi sola satis visio Patris erit.
Sufficiat Christum præsentem cernere, vero
Corde refert Patrem Christus imago Patris.*

De Sancto Bartholomæo.

*Tortor Amazoni quando tibi cuspidæ cultri
Dilacerat vitam Bartholomæe cutem;
Impius inuversa tendit te perdere pelle,
Tuque lubens ipsum dilacerare sinis.
Et bene; nam cautos imitando cautius angues
Nobilius, nudo corpore tegmen habes.*

De Sancto Mathæo.

*Iste teloniaci deserto sænore lucri
Ocyor ad Christi verba secutus iit.
Non tibi tam subita sit res miranda sequela,
Magnes quippe potens robore Christus erat.
Ille trahit durum innato sibi robore ferrum,
Iste animum mollit vi meliore ferum.*

De Sancto Simone.

*Zelotem hunc plerique vocant, plerique Simonem;
Id tibi plus debet nomen inesse (Simon)
Et tuus in Dominum zelus notescat, at istud,
Pæce Simoniaci ne capiare Magi.*

De Sancto Iuda ceu Thadæo.

Ne Iudam hunc esse putes, qui falsus amicum
 Et coniurata prodidit arte Deum.
 Is reprobus fuit, iste bonus; tum perditus ille
 Ordine Apostolico decidit, iste stetit.
 Consona vox fuerat Iudæ reproboque, bonoque;
 Res tamen in simili dissona voce fuit.

De Sancto Matthia.

Vnus Apostolicum quondam est sortitus honorem
 Matthias: simili vellem ego sorte frui.
 Nolo tamen, similique peto non sorte potiri,
 Felici liceat dummodo morte frui.

De Sancto Barnaba.

Barrabeus de Barnabeo modus insonus, ille
 Res alias rapuit, vendidit iste suas;
 Vendidit, & cunctis alienum cæssit in usum,
 Partaque Apostolico detulit ara choro:
 Quid fuerit, petis, inde? sibi super astra beatum,
 Res ita quando suas vendidit, emit agrum.

De Sancto Luca.

Iste Euangelici cælestis scriba lucerna est
 Eloquij, ut nostro luxit in orbe bono,
 Nemo igitur neget, & scripta in cælestia pugnet
 Quod nomen Lucae non bene luce sonet.

De Sancto Marco.

Qui tibi depicti dedit os faciemque Leonis,
 Eloquium voluit, Marce referre tuum.
 Sed referanda magis fuerat tibi, Marce, sagitta;
 Litterâ enim demptâ nominis, arcus eras.

De Sancto Æadmundo Angliæ Regæ & Martyre.

Quando Æadmundus de mundo elatus in astris
 Regnat, eat mundus nomine rege sonat.

Ipse recusatis Rex mundi fastibus vnum.

Sollicito coluit mentis amore Deum:

Atque ita, quod saeu fuerit truncatus ab hoste,

Diuinam contra nescius ire fidem.

Sic de terrenis regna ad caelestia venit,

Et de Aedmuudo tunc bene mundus iit.

*De Sancta Catharina Virgine & Martyre, in
fauorem Studiorum.*

Cum solito de more cohors studiosa ministrat

Anima vota tuis (O Catharina) sacris.

Candida virginei nouit bene lilia cordis,

Et data perpasso praemia Martyrio.

Sed mage doctrinam nouit, notamque cupiuit,

Hanc ergo in studium pronocat illa suum.

Ode Sapphica de eadem.

Cum tuos tendo referare cantus,

Dic mihi (Sappho) studij patrona

Qualis hic nostris celebranda possit

Versibus addi?

Martyr an Virgo? neque Virgo martyr

Laude praesenti sit habenda? sacras

Ad domos vates meritis vtramque

Concinit hymnis.

Iam tamen doctam Catharin canamus,

Et scholae talem celebrent, & omnes

Hanc sibi faustam Catharin scholares

Experientur.

Nulla de tali fuit orbe sexu,

Quae parem tanta cumulare dotem,

Nec sibi mirum queat assonare

Virginis actum.

Quae Palestini sata prole Regis

Vota discendi studio, disertis

Artibus pura teneros iuuentæ
Contulit annos.

Profuit multum labor hic puella,
Quæ suum sanctis genus amplianit
Moribus, iunctâ pietate doctum
Auxit honorem.

Rara si priscis fuerit Minerva
Vaiibus doctæ ratione linguæ,
Rarior nostris Catharina debet
Esse Magistris.

Nata ter senis superabat annis
Quemque Doctorem, tenero sub ore
Corporis casti solidum latebat
Mentis acumen.

Vicit, indigno sibi Rege, multos
Orbe selectas sophiæ Magistros;
Hique confusi stupuere sola
Virgine vinci.

Vnde nil mirum; Catharina verum
Nosse Doctorem didicit; sed illi
Mentibus cæcis didicere nunquam
Noscere Christum.

Praualet Christi studium profano:
sic sophos virgo domuit magistra.
Nos & errores, duce te, domemus
Virgo Patrona.

Epigramma de eadem.

Mystica voce sua resonat Catharina Carina;
Quam bene Martyrio vox sonat ista suo!
Tracta Carina nothis attingit libera portum;
Dilacerata rotis attigit ista polum.

De eadem.

oppositos sibi conuicit Catharina magistros,
Confusosque sua reddidit arte sophos.

Qualiter hoc illi potuit contingere factum?

Non studuisse libris, sed didicisse Deum.

*De quatuor Ecclesiæ Doctoribus, ac primum
de Sancto Gregorio Magno, super his verbis,*

*Qui fecerit & docuerit, magnus vocabi-
tur in regno cœlorum.*

Quando gregis fertur de voce Gregorius, illinc

Inferimus sacrum Christi habuisse gregem.

Magnus ubi fertur, doctus est credere verbis,

Exemplisque suo se vigilasse Gregi.

De Sancto Ambrosio.

Cœlestem (Ambrosi) multum ructasse videris,

Plena ubi facundis sunt tua scripta modis.

Nil mirum si tanta fuit tibi copia, dicitur

Ambrosi fueras ebrius Ambrosia.

De sancto Augustino.

Nomen ab Augusto Augustinus mense, beatum

Qui sibi natalem fecit, habere potest.

Sed in ge ab Augusto Augustinus Casare dignum

Nomen habet, factis magnus uterque suis.

Hoc solum video dispar illum inter & istum,

Maximus is mundo, maximus iste Deo.

De Sancto Hieronimo.

Iste sibi oblatum non vult, renuitque Galerum,

Et præsert rubea corpora nuda toga.

Et Varias mundi. Tendens vitare ruinas,

Interno vigiles fundit ab ore preces,

Non timet assiduo cor flebile plerumque saxo:

Nonne recusari portat honoris onus?

Contrà hodie rubei quarens sibi quisque galeri

Grande decus, meritum ferre recusat onus.

De Martiribus, ac primo de S. Laurentio.

Impuis in Christi leuitam tortor acerbos

Concitus & stygia subiicit arte rogos.
 Sacrum his impositum flammis superare ministrum
 Credulus, & sanctas trudere fisis opes,
 Vrere subiectis, tortor, leuitica flammis
 Membra potes, sed non vincere corda vales.
 Quò magis exterius stygiis rogis artibus ardet.
 Tunc magis interius calica flamma calet.

De Sancto Saturnino Martyre & Archipræsule
 Tolosano.

Qui Saturninum Saturni nomine dixit,
 Præsule de tanto credere quid potuit?
 Credo ego, ceu fidei Saturnus præsuit Astris,
 Verius officio præsuit iste sacro.

De Sancto Sebastiano.

Trux (Sebaste) tibi tensi saeuissimus arcu
 Frustra iit, & membris iacta sagitta tui.
 Et nihil externo nocuit tibi robore, quippe
 Fortior interno corde sagitta fuit.

De Sancto Vincentio.

Felici vincendo suos Vincentius h. stes
 omine, Vincentis nomine dictus iit.
 Cùmque beata tenet deuictis hostibus aspra,
 Verso Vincentis nomine victor erit.

De Sancto Adriano.

Natalem superis Adrianus cepit in astris,
 Martyrium sancto passus amore, diem.
 Causa fuit tanti Natalia sponsa dici:
 Num bene natalis dicitur ille dies!

De Sancto Georgio.

Inclytus hic Martyr lybicum vicisse draconem
 Indomito præstans ense refertur eques.
 Hac illi celebrem præstat victoria laudem;
 Plus fuit stygius cùm Draco victus erit.

De Sancto Gaudentio.

*Fleuerat in terris, sed iam Gaudentius astris
Gaudet, ita è lacrymis gaudia quisque metet.*

De Sancto Eutropio Hydropicis fauorabili.

*Quando (Pie Eutropi Martyr sanctissime) sermo
Gallicus ex nimia dat tibi nomen aqua.*

*Nescio num verus sit sermo; tamen scio certus,
Per pia quod nimia vota mederis aqua.*

De Sancto Christophoro.

*Christophorus propriis Christum portasse lacertis
Dicitur; an vero res sonet ista modo?*

*Collige Christophori proprio de nomine; Christum
Si nusquam ille tulit corpore, corde tulit.*

De Sanctis Pontificibus. ac primum de Sancto
Bertrando Præsule Conuenarum super his
verbis, Serue bone & fidelis intra in
gaudium Domini tui.

*Conuenei Bertrandus honos & gloria templi
A Domino obtinuit gaudia vera suo.*

*Præsulis hæc merces, eius labor insuper hic est,
Et bonus esse Gregi, fidus & esse Deo.*

De Sancto Lupo Patrono annexæ de Gensac.

*Dente rapax Lupus omnis oues rapit; attamen vnus
Commisssas vigili lumine pauit oues.*

Vnde igitur talis nature versio manat?

Optimus iste Lupi nomine Pastor erat.

De Sancto Hilario.

*Ærumnis, Hilari, multis te Gallia tristem
Fecerat, ast Hilarem gloria adepta facit.*

*Gaudia quando (Hilari) perstas ad tanta, videmus
Iam bene completum nominis esse sonum.*

De Sancto Martino.

Dimidium clamidis nudo Martinus egeno,

*Cum dare non posset dona minora, dedit
Ad quid dimidium? num debuit addere totum,
Quippe datum gratis noverat esse satis.*

De Sancto Nicolao.

*Virginea Nicolaus quondam integritatis amator
Misit in occultam munera larga peram:
Missaque nubendis mirā tulit arte puellis;
Largus ita intentis venit ab illecebris.
Præsulis eximij quid non vigilantia prodest,
Quid non ipse copia larga potest?
Talis num terris hodie est occasio? multa est:
Sed pia tentatis copia nulla præst.*

De Sancto Syluestro.

*Cum tenet à syluâ nomen Sylvester, an istud
Fortè vel è placito nomen adeptus iit?
Sylua referre potest rem tanto Præsule dignam:
Sylua viret foliis; floruit hic meritis.
Syluaque ad augmentum multi viret ardua ligni:
Maximus ad laudem floruit iste Dei.*

De Sancto Remigio.

*Errorum dubiis pietas agitata procellis
Gallica, Remigij tempore navis erat.
Illam Remigius diuinus nauta reduxit,
In bona Remigij littora sorte sui.
Sicque ea tuta stetit Rhemensis in littore; sanctum
Inde potest quisquis noscere Remigium.*

*De Sancto Licerio lethiferis canum morsibus
favorabili.*

*Vix licet humanas rabiem sanare per artes,
Sed per Licerij vota precesque licet.*

*De peculiaribus Confessoribus, ac primum
de Beato Antonio.*

Mundi opibus spretis Antonius, Incola Eremi

Longus iit rectâ diues in astra viâ.

*Si sursum hac datur ire viâ, dein approbo sanctam
Pauperiem, minias improbo diuitias.*

*De Sancto Benedicto, super his verbis, Iustum
deduxit Dominus per vias rectas.*

Quam bene sic dictus Benedictus, collige tali

Nomine, verâ etiam re Benedictus erit

Quidni erit, & superis quidni dignissimus astris?

Num tenuit rectas semper ad astra vias!

Ee tenuit; docuitque; vias qui sugerit istas,

Non Benedictus erit, sed maledictus erit.

De Sancto Bernardo.

Castus ephæbus auis clarus, sed charior astris

Nobile Bernardi nomen ubique tulit,

Ast, ubi diuinos virtutum efflauit odores,

Non Bernardus erit, sed bene Nardus erit.

De eodem, lacte Beatæ Virginis pasto.

Bernardi niueo de Virginis vberè poti

Mirum opus humanis, cælicolisque nouum!

Æmula Bernardo qui sursum erexerit ora;

Lac nisi, virginèam certus habebit opem.

*De Sancto Dominico cum Cane facem gestan-
te depicto.*

Quando facem video catulum vibrare per orbem,

Officium, felix Domnice, nosco tuum.

Te siquidem sanctum præconem est credere picto

Sub cane, doctrinam sub face credo tuam.

Aliud, de Liliis in ipsius manibus pictis.

Dominicus hæreticas præco sacer actus in oras

Gestabat niueâ lilia verna manu.

Lilia num veris? credunt hæc lilia multi.

Huius ego casti stemmata credo viri.

61
De eodem super his verbis, Mundum calcans
sub pedibus.

284

Domnicus à Domino dictus, quid nomine nobis

Hoc referet? mundum se domuisse refert.

Namque instar Domini toto dominatus in orbe,

Doctrina domuit perfida corda sua.

De Sancto Thoma Aquinate, super his verbis,

Bene scripsisti de me Thoma.

Præ Cruce cum staret Christum veneratus Aquinas,

Vero habitus Doctor numinis ore fuit.

Doctum nemo neget Thomam, nec credere Christo

Quis dubitet; scripto res manifesta patet.

Aliud.

Verba vocant doctum de cælis edita Thomam,

Et talem in terris edita scripta probant.

Scripta probant qualem astra vocant: iam credere doctum

possumus, ut testes cernimus esse duos.

De eo super responsione horum verborum,

Quam ergo mercedem accipies. Non

aliam nisi te Domine.

Non operum Thomas mercedem, & dona suorum

Non alia, ac ipsum tendit habere Deum.

Quam bona quam sancta est, & recta intentio mentis

Querere nulla sibi, tendere cuncta Deo.

De Sancto Francisco.

Mundanam sancto Franciscus amore secutus

Pauperiem, superas inde recepit opes.

Diuitias hodie recipi non cernimus istas:

scilicet humana pluris habentur opes.

De eiusdem Stigmatibus.

Trans geminas, Francisce, manus, trans pectora Christi

Sunt impressa tibi stigmata, transque pedes.

Iam bene te mundo Crucifixum dicere debes,

Per sacra dum Christo stigmata fixus ades.

De Sancto Ignatio Societatis Iesu Fundatore

Conueniente sonat flagrantem Ignatius ignem

Nomine : si queras verus an ille fuit ?

Verus, & humano nobis mage commodus igne,

Hic mouet ardorem sensibus, ipse animis.

De Sancto Xauerio altero Indiae Apostolo.

Verus Apostolicum renouans Xauerius Vsum,

Iuit Apostolicam spargere in orbe fidem.

Si dubium tanti Praconis credere fructum

Cui fuerit, Verax India testis erit.

De Sancto Rocho.

Rochus Pestiferi moribundus tabe veneni,

Per speram tanta morte leuatur opem.

Quidni hodie praestas homini (Deus optime) talem ?

Causa quod ipse suam non homo praestat opem.

De Sancto Alexi.

Quis verum Christi famulum non dicat Alexin ?

Et charum aeterno quis neget esse Deo ?

Iuit ab intacta castus procul aduena sponsa,

Et procul à patriis ipse recessit agris.

Quippe Euangelicam qui nouerat esse loquelam,

Per quam odisse suos & procul ire licet.

Odit hic, atque odium hoc homini licet ; oderit omne,

Dummodo caelestem norit amare Deum.

De eodem.

Ipsemet è longo terraeque marisque meatu

Appulsus patrios venit Alexis agros.

Et per commiseram refugii fuit instar egeni

Sub patria ignotus tecta receptus opem.

Mansit ibi victu & vestitu pauperis hospes,

Continuas iterans nocte dieque preces.

Auditis sponsae lacrymis, querulisque parentum

Vocibus, haud vlllo motus amore fuit.

Christus erat sponsus, pater, atque amor, omnia Christus;
omnia pro Christo suferat ipse suo.

Non hodie in praxin talem exploramus Alexin.

Quisque studet mundum quærere, nemo Deum.

De Sanctis Viduis, ac Virginibus, ac primum
de Sancta Monica.

Humanas inter Monica augustissima matres,

Quæ dedit augustum nomine reque virum.

Per talem ergo virum prait augustissima, nedum

Cum peperit mundo, sed peperisse Deo.

De Diua Petronilla Virgine.

Petrone illa fuit Virgo Petronilla? fuisse

Fertur, & articulus nominis inde datur.

Iniectam ergo sacr. s habet hanc Ecclesia muris

Ex fundamento te Patre (Petre) petram.

De Sancta Agata Virgine & Martyre.

Qui tua candenti (Virgo) amputat vbera ferro;

Credo ego quod bruta roserit exta fera.

Si mera suxisset matris semel vbera, nosset

vbera fæminei quam pretiosi sinus!

De Sancta Agnete Virgine & Martyre.

Martyrium subiens Agnes iuuenilibus annis

Qualis erit? stygio fortior agna lupo.

Fortior agna lupo quo munere perstitit agnes!

Munere Pastoris cuius amica fuit.

De Sancta Barbara Virgine & Martyre.

Illæ ego sum Virgo, generis quæ nomine sumpto

Barbara barbaricis Patribus orta vocor.

Sed Christi exemplum, castumque secuta pudorem,

Plusquam humana meis moribus esse probor.

De Sancta Catharina Senensi Virgine.

Ad meritam gemmas Cathari spinasque coronam

Sydereo quondam Christus ab axe tulit.
 Vnam de geminis captandam; illoque vel isto
 Munere cingendas censuit esse comas.

Maluit illa alius oblatas cedere gemmas,
 Et sua spinoso cingere templa globo.
 Quippe inter gemmas quæ nouit sistere pœnas,
 Atque inter spinas nouit adesse rosas.

De Sancta Clara Virgine.

Clarum nomen habes Clara, & de nomine clares,
 Sed mage de dño lumine clara nites.

Aliud.

Fama facit (Virgo) te Claram, nomine, Claram
 Te magis in facto calica flamma facit.

De Sancta Lucia, cui oculi auulsi sunt.

Auulsis oculis, luces mage, Lucia, fixis;
 Clarior è casto lux tibi corde venit.

De Lucia altera super his verbis, Columba e.
 immobilis Lucia sponsa Christi.

Lucia vota Deo, lasciuos nescia verti
 In laqueos firma perstitit vsquè fide.

Ipsaque iam perstat, castis vbi perstitit actis
 Firma columna solo, casta Columba polo.

De Sancta Scholastica.

Casti Columbares imitata Scholastica dotes,
 Visa est in superos ire Columba locos.

Sursum hodie tales non cernimus ire Columbas,
 Raro etiam casta sunt in amore schola.

De Sancta Margarita.

Margaris auratis non est inserta Coronis,
 Nam fuit athereo Margaris apta globo.

De eadem.

Margaris argento non est inclusa, nec auro,
 Et mage præ cunctis gemma corusca fuit.

Inseri vbi potuit pretiosa hac Margaritæ aris.
Proprior est castis dotibus ara locus.

286

De Sancta Cæcilia.

Cæcilia impuro tota integra nupta marito
Virgineâ castum reddidit arte virum.
Quidni hodiè faciunt sponsos connubia castos?
Nostra tenent paucas tempora Cæciliâs.

De Diua Apollonia.

Nomen Apolloniæ Virgo hæc ab Apolline sumpsit,
Non tamen huic Pater, aut sponsus Apollo fuit
Credo, quod impuro facta est ab Apolline victrix;
hinc retulit casta nomen Apolloniæ.

De eadem in fauorem dentium.

Quisquis Apolloniam sano pro dente precaris,
Hanc potius casta mentis amore roga.
Charior est tibi mens; superis cæloque placere
Nusquam dente potes, mente placere potes.

De Sancto Ludouico Francorum Rege.

Vnum Francigeni Lodoicum ex munere Regni
Translatum ad superum nouimus esse thronum,
Gallia quam fœlix omen tibi contigit! illinc
Sunt tibi sydereis lilia iuncta rosis.

De eodem in fauorem Ludouici XIV. Fran-
corum Regis, hodie regnantis.

Regna tenens quondam Lodoicus Gallica, fausto
Omine terrenum vertit ad astra thronum.
Tu quoque successor meritis, Lodoice, secundo
Desursum auspicio Gallica Regna tenes.
Nec tibi per fatum, sed per mirabile factum
Est Lodoicum nomen, & ornen crit.
Namque beata tuis sperata in seculo cunis
Vita dedit nomen, sic dabit omen, Amen.

Finis huius opusculi.



H Y M N I

QVADRIMETRI IAMBICI DE
præcipuis anni festis cum Rithmate
& quantitate.

De Aduentu Domini nostri Iesu Christi.

Iesu Redemptor omnium
Intende nostro ritui,
Audi preces fidelium
Tuo sacras aduentui.

Tu condolens in vespere
Totum perire seculum,
Per maximum succurrere
Dignatus es miraculum.

A sede summa gloriæ
Patrem tamen non deserens,
Tu prodijsti, gratiæ
Donam beatum deserens.

Ingressus aluum Virginis
Sumpto fuisti corpore,
Ut nascereris, flaminis
Virtute sancti, in tempore

Cum cuncta Iesu numini
Subdantur in cœlestibus;
Subdantur eius nomini
Inferna cum terrestribus.

Verbum Caro de Virgine
Factum, redemptos inferis
Fac nos, tuo cum numine
Iudex in orbem veneris.

Sit laus Patri; sit insuper
Laus filio, qui perditio
Subuenit orbi desuper;
Sit ipsa laus Paraclito.

De Natiuitate eiusdem Domini Iesu Christi.

Iesu potestas æmula
 Summi Tonantis ætheris,
 Qui natus ante secula
 In seculoque nasceris.
 Tu vera Patris Claritas
 Eiusque proles vnica
 Attende laudes debitas
 Et gratiarum cantica.
 Memento quod de crimine
 Saluare mundum veneris,
 Et de Maria Virgine
 Carnem beatam sumpseris.
 Tanti modum miraculi
 In hac die deducimus,
 Et pro medela seculi
 Venisse Christum credimus.
 Sunt vndeque gaudia
 Terrena cum cœlestibus
 Summi Dei natalia
 Cantant serenis laudibus.
 Et nos tuo qui viuimus
 (Iesu) redempti sanguine
 Laudes tibi rependimus
 Cum nasceris de Virgine.
 Summo Patri per secula
 Cum Spiritu laus conuenit
 Sit filio laus æmula
 Qui natus orbisubuenit,
De Epiphania eiusdem Domini.

Diuina post Natalia
 Christi, colenda mysticis
 Ecclesiæ Regalia
 Se festa præbent canticis.
 Cunis iacens in vilibus
 Summoque plenus numine
 Apparuisse Regibus
 Christus refertur lumine.
 Ipsis dedit viantibus
 Sydus nouum præcedere;
 Det ipse nostris mentibus
 Veram fidem clarescere.

Vinosa conuiuantibus
 Versas aquas in pocula
 Concessit; indigentibus
 Concedat hæc miracula.

Iordanis vndas attigit
 Dans se lauandum flumini,
 Et sic medela contigit
 Originali crimini.

Sit laus Patri; sit inclito
 Laus filio, qui regibus
 Apparuit, paraclito
 Sit ipsa laus ab omnibus.

De Tempore Quadragesime.

Iesu, salus mortalium
 In hoc quadragenario
 Humillimas fidelium
 Audi preces ieiunio.

Tu, qui potenti cordium
 Visu penetras intima,
 Infirma nosti virium
 Pronosque nos ad pessima.

At tu Redemptor effice,
 Et da mali, quod fecimus,
 Remissionem, supplice
 Quam corde sursum poscimus.

Per corporum ieiunia
 Præbe vigorem cordibus,
 Culpisque spiritalia
 Ieiuna sint ab omnibus.

Præsta Beata Trinitas,
 Effectus vt ieiunij,
 Potus, cibique parcitas
 Sit causa nobis gaudij.

De Cruce.

Prodit trophæum gloriæ,
 Christi triumphus emicat,
 Et sacra Crux Caluarix
 Montem beatum prædicat.

Suspensus hîc Rex gentium
 Mortem subiuit libere
 Iesus amore mentium
 Læsus cruento vulnere.

Impleta David carmina
 Nostro favore nouimus,
 Christumque propter crimina
 Regnasse ligno credimus.

Status Crucis mirabilis
 Qui ducitur victoriæ,
 Et antè Crux ignobilis
 Iam deputatur gloriæ.

Arbor decora, nobilis,
 Et tincta Christi sanguine,
 Præ cæteris amabilis
 Ex digniori germine.

Beata Crux quæ reddidit
 Ligno malo contraria:
 Lignum prius nos perdidit,
 Sed Crux redemit omnia.

Aue verenda Regibus
 Crux sancta lignum nobile,
 Lignum salutis omnibus
 Mundi malis sanabile.

Bono Deo sit gloria,
 Cuius potenti filium
 Scimus Crucis victoria
 Fecisse mundo prælium.

De tempore Paschali.

Agni dapes ad Regias
 Tendamus omnes prosperè
 Christo canamus gratias
 Eius redempti munere.

Paschalis ipse victima
 Effusione sanguinis
 Tollendo mundi crimina
 Sedauit iram numinis.

Oblatus agnus innocens
 Mortem subiuit liberè
 Æquè capax, æquè potens
 De morte victor surgere.

Surrexit & verissimè
 Christus creator omnium
 De morte quam p̄issimè
 Tulit redemptor mentium.

Paschale Iesu gaudium

Conuerte mundi tædia,
 Transfer dolores cordium
 In vera cæli gaudia.
 Nato Dei sit gloria
 Mortem Crucis qui pertulit,
 Et nobili victoria
 De morte vitam protulit.

De Ascensione Domini.

Iesu salus mortalium
 Et seculi redemptio
 Et omnium fidelium
 Æterna consolatio.
 Quæ te tulit clementia
 Vt desuper descenderes,
 Carnemque nostri gratia
 Ad sufferendum sumeres.
 Mortem cruentam sufferens
 Dignatus es descendere
 In nigra claustra conterens
 Hostem potenti munere.
 Limbo redemptis Patribus,
 De morte victor effera
 Victorijs insignibus
 Ovas redux in sydera.

Iesu, pia dulcedine
 Qua passus es pro gentibus,
 Si quid subest de crimine
 Ignosce pœnitentibus.
 Nostrum futurum gaudium
 Sedens Paternæ dexteræ,
 Post huius orbis tædium
 Fac nos in altum tendere.

De Spiritu Sancto.

Veni Creator Spiritus
 Mentis tuorum visita,
 Fusasque nobis cœlitus
 Flammas amoris excita.
 Tu pro medela mentium
 Es spiritalis vnctio,
 Et ad dolores gentium
 Æterna consolatio.
 Index paternæ dexteræ

Nobis præis verissimus,
Et septiformi munere
Remunerator optimus.

Accende flammæ mentibus
Vivumque lumen imprimè:
Amore nostris cordibus
Fuso, maligna comprime.

Longè fugatis hostibus
Clemens in orbem respice,
Vt Pacis almæ fructibus
Te perfruamur auspice.

Da mentibus fidelium
Patrem supernum noscere,
Eiusque scire filium,
Et Spiritum te credere.

Sit laus Patri per secula;
Natoque laus, qui perditum
Mundum redemit; æmula
Sanctum decet laus Spiritum.

De Sanctissima Trinitate.

O Trinitatis vnitas!
Nulli datur te carpere:
O vnitatis Trinitas!
Solum datur te credere.

Verum Deum te credimus
Pleno potentem numine,
Omnes modos disponimus
Tuo regendos ordine.

Dignum coli misterium!
Tres sunt in vno numine;
Paterque gignens filium
Vnum facit cum flamine.

Præstat pater potentia
Et infimis & cœlitus;
Et filius scientia;
Amore sanctus Spiritus.

Tanto Dei misterio
Laudes canamus debitas;
Sed vna fit laudatio,
Ceu vna regnat Trinitas.

Gentes colant misterium
Carnis, factique sanguinis
Quem fudit author omnium
Nostri miserus criminis.

Natus Maria Virgine
Nouos in vsus prodiit,
Miroque terris ordine
Modos salutis edidit.

In nocte cœnæ mysticæ
Apostolis se præbuit
In carnis esum cœlicæ,
Et sic agendum censuit.

Carnem suam mirabilem
Nostris reliquit esibus,
Et sanguinem potabilem
Non sensui sed mentibus.

Submissa tanto ritui
Plebs Christiana deferat,
Et sensuum defectui
Fides amorem conferat.

Summo Patri cum flamine
Sit omne mundi seruiens,
Cui est cœuo numine
Verbum supernum prodiens.

De Beata Virgine.

Qui magna cœli sidera
Verbo creauit vnico,
Intra Maria viscera
Fœtu quieuit mystico.

Cuius potenti numine
Est totus orbis conditus,
Summa fuit dulcedine
Aluo Mariæ subditus.

Miranda res in Virgine,
Et gloriosa dignitas
Cui cœlico spiramine
Se subdidit diuinitas.

Felix Maria nomine,
Felicior virtutibus,
Sed plena sancto flamine
Cunctis præit felicibus.

Ex his Maria dotibus
 Sit laus superno numini,
 Deoque dictis laudibus
 Sit laus Mariæ Virginæ.

De eadem.

Iesu redemptor seculi
 Memento quod descenderis
 Author noui miraculi
 Ab arce summa syderis.

Memento quod de Virgine
 Carmen beatam sumpseris,
 Et carne sumpta, à crimine
 Mundum reum redemeris.

Maria casto viscere
 Emisa talem filium,
 Precum tuarum munere
 Votis faue fidelium.

Nos ergo mater gratiæ
 Tuis iuua Virtutibus,
 Horâque mortis anxie
 Tuere nos ab hostibus.

Summo Deo sit gloria,
 Cui virgo semper exitit
 Coniux, Parens; & Filia;
 Christumque terris edidit.

De eadem.

Quam gratiosa munera
 Sanctæ Mariæ Virginis
 Dedisse latis ybera
 Nato superni numinis.

Quod Eua mater noxia
 Peccando nobis abstulit,
 Fœcunda Virgo gratia
 Merendo nobis protulit.

Maria vere splendida,
 Et porta pandens ætheris,
 Et stella terris fulgida,
 Magnusque terror inferis.

Ad Gloriosa Virginis
 Gaudete gentes munera,
 Boni fuerunt ominis
 Eius beata viscera.

Sit laus Deo, qui virginem
Summa repleuit gratia,
Supraque quemuis ordinem
Illam repleuit gloria.

De Festo omnium Sanctorum.

Iesu Redemptor optime
Sacris faue concentibus,
Quos hac die plenissime
Cœli vouemus ciuibus.

Et tu (Parens castissima)
Maria Virgo Virginum;
Nobis bonum piissima
Exposce vitæ terminum.

Vos, in nouenos agmina
Distincta giros, Spiritus,
Nostris malis solamina
Præbete nobis cœlitus.

Precum suarum munere
Nobis vclit precantibus
Vates sacri succurrere
Cum Patriarchis omnibus.

Apostolorum concio
Deum peccata postulet
Cum martyrum consortio
Noxas vt omnes amputet.

Suo precetur ordine
Confessoralmus quilibet,
Et qualibet cum Virgine
Suffragijs nos adiuuet.

Quotquot fruuntur æthere,
Mentes beatas poscimus
Nobis velint succurrere,
Cum nos eis accurrimus.

Sit laus Deo, cui subdita
Sunt alstra cum terrestribus;
Deoque laude reddita
Sanctis honor sit omnibus.

De Beato Ioachimo super his verbis.

Potens in terra erit semen eius.

Dignus Ioachim laudibus,
Quem sacra laudat littera;
Cuius potens virtutibus
Semen verentur sydera!

Infirma crimen redidit
 Humana quævis semina:
 Semen Ioachim edidit
 Quod vlla nescit crimina.
 Sic præualet præ ceteris,
 Vt contremiscant Inferi;
 Nam semen hoc ab inferis
 Sanctum nequiuit conteri.

Imo peculiaribus
 Donis viguens in graria
 Terrena cum cœlestibus
 Iunxit nouâ potentiâ.
 Dotes Ioachim maximæ
 Deditse semen vnicum.
 Quod protulit plenissimè
 Fructum per orbem misticum.
 Sit laus nouo cum carmine
 Deo, nouum per ordinem
 Qui de Ioachim semine
 Traxit Mariam Virginem.

De Dina Anna.

Colamus Annam supplices
 Eius meremur munere
 Fructus bonos & iudices
 Veræ salutis edere.
 Hæc antè terris edidit
 Fructum valoris optimi,
 Et ex Maria reddidit;
 Iesum valoris plurimj.
 O Anna verè nobilis
 Si quæ fuerunt fœminæ,
 Et terra valde fertilis
 Sacro referta semine.

Tu fertilis diuinitus
 Es factæ, sic nunc effice
 Vt fertiles in moribus
 Simus bonis, te supplice.
 Sit laus Deo, qui desuper
 Dat larga mundo munera;
 Nostri misertus insuper
 Fœcundat Annæ viscera.

De Beato Iosepho.

Summis Iosephum laudibus
 Quis non colat? Cœlestia

Suis Iosephum cantibus
Colunt colant terrestria.

Majore plenus gratia
Quam primus olim venditus
Effulsit innocentia
Et castitare præditus.

Quam gratiosa nomine
Et re Iosephi dignitas!
Iesus Ioseph cum virgine
Est mira nobis Trinitas.

Peculiari munere
Christi Patrem Nutricium
Debenus ipsum credere
Et Virginis solatium.

Ex his Iosephi dotibus,
Sit laus superno numini,
Qui castus in sponsalibus
Fuit Mariæ Virginj.

*De Dino Lupo, Kalendis Septembrii celebra-
to & Parrochia authoris patrono.*

L Vpus sacris consentibus
Colendus est, quem gratia
Diuina de terrestribus
Traduxit in Cœlestia.

Præclarus ortu Regio
Præclarior virtutibus
Sancto fuit suffragio
Præsul datus senonibus.

Pastor fidelis mentium
Lupi refulsit nomine;
Dispar Lupo qui carminibus
Persistit in voragine.

Pastoris acto munere
Cum victuosis actibus
Bonoque plebis, vivere
Meretur in Cœlestibus.

Te, qui præis pastoribus,
O Christe Pastor optime
Præsta Lupi virtutibus
Hærere nos piissimè.

Tibi beata Trinitas,
Tibique, Christe, gloria;
Per quem refulget dignita
Lupi Beati in Patria.



